DE FEBRIBUS
SYNOCO - PUTRIDO - BILIOSIS

QUAE MORE EPIDEMICO

IN NOSOCOMIO FLORENTINO

ANNIS 1791, 1792

GRASSATAE SUNT

TRACTATUS

AUCT. AUGUSTINO OLMI

PHILOS. ET MEDIC. DOCT.

FLORENTIAE 1792.

EXCUDEBAT IACOBUS GRATIOLIUS

PRAES. ANNUENT.

NULLUS EST LIBER TAM MALUS, QUI NON ALIQUA PARTE PROSIT.

PLUTAR.

PRAEFATIO.

QUid dulcius, quid humanae naturae magis consentaneum reperiri potest, quam inter innumera, quae hominem circumstant, morborum genera, et ipsum in continuo, ut ita dicam, aerumnarum pelago constituunt, per assiduas lucubrationes, atque indagines medicorum oppressas morborum

vires inspicere, fereque ex orci faucibus miseros abreptos, dilectum filium patri, conjunctum amore virum uxori, fidelem amicum amico denuo tandem vitae restitutum? Si res ita se habeat, quomodo nam ego potero, qui aliis solummodo causa juvandi permotus laboribus periculisque vitae pro nihilo habitis, primae juventae tempus in sedulis taediosisque morborum observationibus, cadaverumque sectionibus consumpsi; quomodo nam potero in medium non afferre illa quae factis

experientiaque comprobata utilia generi humano esse possint? Et re quidem vera quot nam reperiuntur cordati Viri, qui istis solummodo rationibus ducti utilissimas observationes nobis tradiderunt? quot nam opera medica, quot tractatus, quot peculiares dissertationes celeberrimorum in arte virorum non extant? Utinam omnes, qui veram salutarem artem exercent, quicquid observatione, ac scitu in tam difficili, atque spinosa morborum doctrina dignum deprehenderunt, literis li-

benter mandarent! Nonne minoribus circumdati tenebris viam claram, magisque securam facilius nos percurreremus? Neque enim ullum magis idoneum datur, aut excogitari potest medium in arte nostra ad praxeos accuratioris incrementa promovenda quam copia accurate consignatarum observationum, et solida ratiocinatio, atque judicium, quod ex circumstantiis, et natura rerum, quae continentur in observationibus, formandum est atque eliciendum.

Hoff. opusc. de error. medic. in theo. et praxi medica. *Veritatem hanc perbelle Huxamius cognovit, neque dubitavit asserere, quantae utilitatis, sit fidelissimas speciatim epidemicorum historias contexere, ac methodos sive bonas, vel malas adamussim exponere. Etenim quot nam ex vita discederent, nisi in primis saltem Epidemiae diebus in practicorum scriptis aliquid inveniretur, quod si minus illis ipsis circumstantiis congrueret, attamen multum lucis suppeditaret?* Pulchrum est enim

ea quoque discere, quae in experimentum assumpta successu caruerunt, et cur successum non habuerunt. Hipp. lib. de Art. num. 46. *Cum decem elapsi sint anni ex quo tempore clinicam in Florentino Nosocomio exerceam, et singulis fere annis peculiaria quaedam morborum genera prae aliis morbis caput efferre viderim, observationeque pluries doctus fuerim, illa tempestatum vicissitudinibus obsecundare; attamen eadem aliquando vidi epidemico quasi more percurrere. At in transa-*

cto, aeque ac in praesenti anno non solum in Nosocomio, sed etiam in aliquibus urbis locis quaedam peculiares contagiosae febres ex biliosarum, ac putridarum genere grassatae sunt, quarum quamvis nonnullae usque ab initio leniter progredi viderentur, attamen tam diris recrudescebant syntomatibus, ut in vitae periculum statim aegrotantes adducerent. Cum ergo de istis nonnulla observationibus digna exponere mihi propositum fuerim, non fictis, somniatisque fabulis meum, qualiscum-

que fuerit, sermonem ornabo, sed Thucydide, ac Siculo Diodoro ducibus, qui in epidemiis, quae Asiam, totamque Europam depopulatae sunt, tam accurate naturam pinxerunt, nostrarum febrium genuina syntomata, harum mutationes; utilesque observationes exponam, uti Ballonius, Sydenahmius, Huxamius, Pringlius, Tissotus, Ramaxinius, aliique quam plurimi fecerunt. Absint ergo procul Bonneti cimices, (Bonet. Sep. Tom. IV. Sec. I. §. 11.) *in pestilenti Emitriteo inter cerebri me-*

ninges repertae, pariterque viperae, atque lacertae in corporibus peste correptis inventae (ibi. obs. 62. §. 8. et 9.), *cum potius poetarum figmenta, quam veritates indubitate haberi possint. Cum ergo in contagiosis morbis oratio versetur, non est modo silentio praetereundum, quid de causa, atque origine epidemicorum morborum traditum sit. Et quidem si priscorum hypotheses cogitatione percurramus, non possumus quin curiosa animi delectatione pertentemur. Fuerunt tantae credulitatis non-*

nulli, ut ab alicuius numinis indignatione flagellum communium internecionum repetendum putarint, autumarintque sine humanarum hostiarum expiatione truculentam numinis iram nullo modo posse compesci. Alii vero cincinnatas Stellas, Lunam, alii sydera in subsidium vocarunt, et ab eorumdem potestate, ac influxu, epidemiarum causam derivarunt. Quid dicam de aere? Cognovit recte medicinae parens Hippocrates ab hoc fluido viventium corpora continuo circumdata varias im-

pressiones pro variis ejusdem constitutionibus experiri debere. Nam Hipp. Sect. III. aph. 1. Mutationes temporum potissimum pariunt morbos, et in quibusdam temporibus magnae mutationes aut frigoris, aut caloris, aut alia pro ratione eodem modo. *Haec Hippocratis doctrina, quam plurimos in hanc sententiam adduxit, epidemiarum causam ab aeris vicissitudinibus praesertim subitis pendere; quamvis auctor ipse de flatibus sic dicat:* Morbus unquam vix aliunde, quam

ab aere oriri posse, quum is aut copiosior, aut parcior, aut etiam plenior, aut et morbidis inquinamentis infectus in corpus subierit. *Ex quo clarissime patet non solum ab aeris modificatione, sed ab alia quoque ratione epidemiarum causam derivasse. Sydenamius, qui omni jure Anglus Hippocrates nuncupari potest, de aere relate ad epidemicos morbos sic ait*: Quamvis autem diversas, diversorum annorum habitudines, quoad manifestas aeris qualitates, maxima qua

potui diligentia notaverim, ut vel exinde causas tantae epidemicorum vicissitudinis expiscarer, me tamen ne hilum quidem hactenus promoveri sentio, quippe qui animadverto annos, quoad manifestam aeris temperiem sibi plane consentientes, dispari admodum morborum agmine infestari, et vice versa. Ita enim se res habet. Variae sunt nempe annorum constitutiones, quae neque calori, neque frigori, non sicco humidove ortum suum

debent, sed ab occulta potius, et inexplicabili quadam alteratione in ipsis terrae visceribus pendent; unde aer ejusmodi effluviis contaminatur, quae humana corpora huic, aut illi morbo addicunt determinantque stante scilicet, praefatae constitutionis praedominio, quae exacto demum aliquot annorum circulo facessit, atque alteri locum cedit. *Quam plurimos hanc in sententiam textus in medium possem afferre celeberrimorum Virorum, ut Baconis Ve-*

rulamiensis, Ramazinii, Sarconi, sed de hoc satis esse putamus. Itaque cum aer, ut causa epidemiarum quantum vidimus reputari non possit: attamen illum uti medium, nempe uti vehiculum quarumdam peculiarium inficientis indolis particularum considerabimus. Corpora omnia, sive ea sint ex animantium, sive vegetabilium regno, cuidam peculiari putrefactioni sunt obnoxia, ex hisce vero putrefactionem animalium corporum magis noxiam esse nemo inficiari poterit. Si ergo medicinae histo-

riam percurrentibus, ex cadaverum inhumatorum putrefactione, ac ex stagnantibus putridis aquis innumeras licet colligere epidemias; non abs re erit aerem considerare uti medium, ex quo ab uno corpore in aliud virus propagetur. Veram autem particularum naturam, quod attinet e corporibus effluentium, nonnisi ab earumdem effectis hactenus habemus, nec aliter unquam habere poterimus. Attamen nonnulli ex chemicorum sectis (videatur Senac in pestis tractatu) istas particu-

las tamquam innumeros vermiculos, per auram volitantes reputarunt, et per oris viam, perque cutis spiracula ingredi corpus crediderunt. Si autem ab effectis aliquid more academico exponere velimus, contagiosum virus, qualecumque sit, vel ut causa enervans, vel ut excitans reputari potest. Volvamus etenim pluriesque opera medica perlegamus, et inveniemus epidemias quotquot extiterunt, saltem ab initio vel inflammatoriam, vel morborum quos putridos dicunt indolem prae-

seferre. Immo in ipsissima epidemia perfrequenter ex utroque genere inventi sunt aegrotantes, quod directe probat, virus morbosum pro temperamentorum ratione, aliisque in uno vel in alio corpore latitantibus causis vim suam, atque potentiam exerere. Perpensis hactenus morbosis illis causis, quibus externe corpus affici potest, ordo postulat, ut etiam illas, quae interne in idem agere possunt, quoad licet perpendamus. Et sane nostris oculis illae ipsae subjiciuntur causae in iis, quibus homo

ipse continuo utitur, ut suimetipsius conservationi prospiciat. In diversis itaque ciborum qualitatibus, vel in aliqua causa, quae naturalem eorum statum immutaverit, ut in tritico, aut secale rubiginosa, cornigera, aut fermentata, vel in propria ipsorum natura, ut in ciceris, lolio, aliisque id genus, diversam popularium morborum causam nonnulli constituerunt. Credo Lectorem non indignaturum esse si ad hanc comprobandam sententiam ipsis utar Galeni verbis: Non omnino re-

cte dictum, quod ortus communium morborum in aere solummodo sit referendus. Quando ex fame in Aëno leguminibus vescentes, crura imbecilla habuere, qui vero ervo, illis genua dolebant. Iam etiam novimus, quod comesse semiputridum triticum, necessitate compulsi quidam, communi morbo, ex communi causa arrepti sunt. Galen. de nat. hum. Cap. 2. n. 3. *et alio in loco*. Quantum sit mali succi cibis vitium ad procreandos morbos,

facile non omnino mente captis declaravit fames (*N. Melius, pestis, ut antiquus Interpres Graece enim* λιομοι, *non* λιμοι *legendum*), quae per plurimas Romano Imperio subditas gentes saeviit multis deinceps annis continue. Quum enim Cives pro more suo (quo aestate quum primum solent frumenti, quod satis sit in reliquum anni tempus parare) quicquid in agris tritici fuerat .... et legumina simul abstulissent.... reliquos agrestibus fecere cereales fructus.

Consumptis itaque hyeme iis quae facta reliqua fuerant, agrestes necessario, vere toto succi pravi alimentis vescebantur, adhibitis ad cibi usum arborum fruticumque germinibus, ac turionibus, bulbisque, et succo malo praeditis radicibus; simul herbas virentes edebant elixas, quas antea nequaquam, ne periculi quidem faciundi gratia degustaverant. Itaque videre erat ex his quosdam desinente vere, plerosque certe omnes ineunte aestate ul-

ceribus in cute, ut plurimum foedatas, quorum non unica esset in omnibus facies siquidem erysipelas alia, atque alia herpetem, impetiginem, psoram, et lepram alia referebant, quem placidissime vitiosum succum e visceribus, profundoq; corporis per cutim eliminabunt. Aliis vero quibusdam carbunculi, ex phagedaenae specie, quum apparuissent cum febri plurimos interfecere, paucissimis aegre post multum temporis servatis. At sine cu-

taneis affectibus febres plurimae viguere, quas ipsas tum alvi recrementa sequebantur graveolentia, et mordacia intestinorum difficultates, et tenesmos postremo afferentia, tum acres urinae, eaeque graviter olentes, quae quorumdam vesicam exulcerarunt. Imo nonnulli dijudicati sudoribus sunt, iisque ipsis male olentibus, abscessibusve putredinosis. Quibus nihil horum accidit interiere omnes, aut cum manifesta visceris unius alicuius

phlegmone, aut ob vehementem, et malignam febrem. Gal. de succ. bonitat. et vit. C I.

Cum ergo in annonae difficultatibus, vel in aliis calamitosis circumstantiis, in quibus homines proprio labore et sudore sibi comparare aliturас non possunt, pravis vescantur cibis, aut famem patiantur; illud fiet ut a statu naturali corporis humores recedant, vel pravam ciborum indolem assumendo, vel corruptionem, quam ipsa parcitas alimenti sanguini inducit, subeundo.

Scimus enim ex physiologicis, nostrorum humorum principem sanguinem variis inter se diversae indolis particulis constare, quae, nisi perpetuo innovarentur, in quamdam peculiarem putridam dissolutionem inciderent: exemplo sint putredinosae expirationes illorum, qui diuturniori inedia fracti sunt, pariterque halitus ab ipsorum sanguine manantes uti et per quascumque partes fluxus, doloresque, quibus ipsi cruciantur. Requiritur ergo ut optimum alimentum a viribus vitae in nostram

naturam redactum ad omnia obeunda munera aptum sit; nempe ut chilus ab optimis elicitus cibis, integrisque chilopojeticis visceribus fabrefactus, perenni quodam fluxu circulationis amnem ingrediatur, et hoc pacto non solum sanguinis ipsius conservationi, sed etiam corporis nutritioni prospiciat. Ex quacumque demum causa vel extra, vel intra corpus agente homo contagioso morbo corripiatur; ipse tamquam in centro morbosae athmosphaerae considerari potest, qua secundum variam

ejusdem virosam potentiam varia corpora, quae intra ipsam versantur, afficiuntur. Et haec potissima est ratio, ob quam ex uno in alterum contagium propagatur, idque semper pro natura contagiosi veneni, et in corporum praedispositorum ratione. Nam particulae virosae, vel contagiosa effluvia ex affectis corporibus manantia cujusdam peculiaris atque propriae naturae sunt, eamque possident facultatem, ut quum praedispositis humoribus coniunguntur, eosdem in propriam

assimilent naturam. Viae autem contagionis frequentiores considerari possunt, inspiratio, et deglutitio, per illam immediate propter immediatum aeris contaminati in sanguinem appulsum, per hanc propter deglutionem humorum salivalium ope patratum labes introducitur, nisi tertiam considerare velimus, totius nempe corporis per inhalantia absorptionem. Idque ne careat experimento, nostrae febres per assiduas parentum, vel amicorum visitationes, vel assiduas adstan-

tium excubias ex uno in alterum propagatae sunt. Heu quoties ego timui ne afficerer? Etenim postquam viginti, aut triginta aegrotantes hisce febribus correptos fere quotidie inviseram, pluries ex Nosocomio cum vomendi stimulo, corporis lassitudine, lenique capitis dolore abibam, quibus omnibus meracii (sed moderatum) generosique vini usum feliciter opposui. Jam jam satis praefatus esse videor. Restat ergo ut Benevolus Lector, etiam illa quae expositurus sum libenti animo

perlegat, quoniam ad haec scribenda sola me compulit cura utilitatis, salus una qua nihil dulcius; quid enim opes maximaeque fortunae et gradus juvant deficiente sanitate? medicina salutaris nuncupatur ars, medicus autem naturae minister. Sed ut tantum adipiscatur nomen, multum in morborum observationibus, incessibusque naturae versetur oportet. Si ergo observationes, quas vobis offero, fructus meorum laborum sunt summorum virorum doctrinis ornati, nil aliud mihi su-

perest desiderandum, quam ut sapientiae cultores, si quid in hisce legendis reperiant, quod doctrinis ingenioque ipsorum convenire nequaquam posse videatur, illud tamen libenti, et pacato animo excipiant.

Cum omnes tandem praeclarissimi viri in variis epidemicorum describendis historiis ab aeris vicissitudinibus initium sumpserint, eas adnotare ipsorum exemplo operae pretium duxi; ideoque aeris constitutiones per integrum biennium proxime elapsum

tabulis ad calcem operis reperiundis consignavi. Propositi autem ratio postulat, ut a febrium causa cum immediata, tum remota exordiar; mox iis in tres divisis ordines singulorum syntomata variasque mutationes secundum varia earumdem tempora adamussim describam, eademque physiologice explicem. Cumque tertio ordine syntomata peculiaria, nempe eruptiones, modo peticulares, miliares modo, modo utriusque speciei in eodem subiecto se commonstrarint, illud necessum erit, ut in

quodam veritatis aspectu, quid de istis plurimi senserint, exponam, cum non desint, qui haec exanthemata ad venena peculiaris naturae referant. Qualitatem sanguinis breviter considerabo, quaedam de sanguinis missione, de emeticiis atque purgantibus, de vesicatoriis ex praxi deprompta, observationeque digna seorsim exponam, de nonnullis adhibitis remediis, quae potero, disseram, cadaverum tandem sectiones ostendam.

QUAE IN HOC TRACTATU
CONTINENTUR HAEC SUNT.

DE FEBRIBUS
SYNOCO-PUTRIDO-BILIOSIS
TRACTATUS

DE IMMEDIATA
ATQUE REMOTA
FEBRIUM CAUSA

CAusam Febrium immediatam cum exponere debeamus, ipsam a quibusdam peculiaribus morbosis hepatis circumstantiis, bilisque conditionibus eruere fas est.

Ut enim perfectam huiusce humoris cognitionem adipiscamur, ejusdem peculiaris natura chemicis experimentis erit detegenda, quo facilius morbosae ipsius mutationes intelligi possint.

Quamvis humana bilis a celeberrimo de Fourcroi nondum chemice tra-

ctata sit ob difficultatem, quam ipse semper invenit, cum illam debita quantitate ex humanis cadaveribus numquam obtinere potuisset, bilem bovillam tantummodo ad examen revocavit, cuius componentia nos secundum tanti Viri chemica experimenta lectoribus nunc legenda praebemus.

Est itaque bilis quidam humor e sanguinea massa secretus croceo-viridi colore, nauseosoque donatus odore, qui in iecuris perficitur fabrica in tot praesertim innumerabilibus hexagonae figurae acinis, ex quibus peculiare vasorum systema pororum biliarium nomine insignitum ortum ducit, qui tandem cum simul conveniant, magna biliosa componunt vasa, quorum ultimum prius quam in duodenum confluat intestinum, cum cistico ductu coniungitur, e vesicula fellea orto, cuius ope bilis ab hepate

secreta datis quibusdam conditionibus hanc in vesiculam ingreditur, quae a quadam fovea dextero fere semper hepatis lobo insculpta excipitur. Liquor de quo agitur, carbonosa, ac fere gelatinosa gaudet firmitate, ac julapii ad instar filis protrahitur. Si ipse tamen quassetur, in bullas spumescit tamquam sapo. Si in balneo humido per distillationem tentetur, aquam suppeditat, quae neque acidam, neque alkalinam naturam praesefert, sed quodam temporis intervallo in statum putredinosum facillime transit. Haec vero aqua saepissime peculiarem characterem ostendit, nempe quemdam suavem, succino, vel mosco similem exhalat odorem, uti pluries celeberrimus Auctor in suis demonstrandis chemicis experimentis tyronibus patefecit. Tum quum bilis ope descripti balnei tota aquea orbatur parte, in quoddam ma-

gis, minusve siccum reducitur extractum, quod fuscum vel viridem inspicientibus colorem exhibet. Hoc extractum aeris attrahit humiditatem, piceamque ferme tenacitatem possidet, quae tamen facillime ab aqua vincitur, cum ab eadem perfecte solvatur. Si extractum hoc distillationi committamus, carbonatum ammoniacale,.oleumque animale, multumque volatilis olei concreti producit. Post hanc operationem magna copia carbonis difficillime in cinerem redigendi reperitur.

In academicis Parisiensium commentariis an. 1767. praeclarissima legitur Cadeti dissertatio, quae circa bilis chemicam analisim versatur, ex qua eruitur, bilem peculiare quoddam sal saccaro lactis fere simile, una cum carbone, in quo soda reperitur, terraque tandem animalis naturae, quae parvam ferri quantitatem continet, possidere.

Considerandum restat, quod descripta distillatio magnum exposcit temporis spatium, quoniam substantia haec peculiari quodam modo a calore turget.

Cum bilis moderato exponitur calori, facillime permutatur: nauseosum odorem adipiscitur, propriumque colorem amittit. Candidi, mucosique ab ipsa secernuntur flocci, suam ipsa perdit tenacitatem, statimque foetidum stimulantemque assumit odorem.

Tum quum vero ejusdem putrefactio summum attigit gradum, bilis odor suavis, ac fere succineus fit.

Bilis ab aqua perfecte solvitur.

Acida saponum ad instar istam decomponunt, atque in coagulum facessunt.

Si haec mixtura percoletur, atque liquor expressus evaporetur, sal neutrum ab acido, quo usi sumus, conflatum ha-

bemus. Ita sulfatum sodae si acidum sulfuricum, nitratum sodae si acidum nitricum, muriatum sodae si acidum adhibeamus muriaticum, habemus. Pulchrum hoc experimentum, quod sodam in bile ostendit, solummodo Cadeto debemus. In hoc experimento materia, quae super cartam bibulam restat, spissa, viscosa, acerrima, valdeque inflammabilis reperitur. Huiusmodi materiei color, atque firmitas maiori, vel minori acidi adhibiti coacervationi respondet.

Observavit analiseos, quam nunc describimus, auctor, acidum sulfuricum fuscum; nitricum croceum-coruscantem; muriaticum vero pulcherrimum clarumque viridem colorem materiei impertiri. Haec praecipitatio vera resina est; nam super candentes carbones, funditur, atque inflammatur, ab alcoho-

le omnino solvitur, aqua vero resinosorum succorum ad instar illam praecipitat.

Ab actione ergo, quam acida in bilem exerunt, eruitur, humorem hunc verum saponem esse, atque ab oleo resinosae naturae una cum soda coniuncto esse productum.

Si salia neutra cum bile misceantur, haec impediunt, quin in statum putredinosum vergat.

Metallicae dissolutiones a bile decomponuntur, quam vero eodem tempore ipsae decomponunt, quoniam fixum bilis alkali cum dissolutionis acido coniungitur, ejusdemque oleum cum metallica praecipitatur oxide.

Facillime cum oleis coniungitur bilis, holosericosque, quemadmodum, sapo oleo orbat.

Tum quum in alcohole solvitur dis-

solutio, croceo-viridem colorem adipiscitur, glutinosa subsidet materia, ab alcohole minime solvenda.

Bilis tinctura ab aqua non decomponitur.

Ex quo aperte patet, bilem verum saponem esse animalem, quae a menstruis tam aquosis, quam inflammabilibus aequaliter solvi potest, ab aethere maxima cum facilitate.

Acetum, uti reliqua etiam acida, bilem praecipitat; si liquorem a praecipitato liberatum evaporemus, acetatum sodae perfecte cristallinum minerale habetur.

Ex hactenus ergo celeberrimi de Fourcroi adductis experimentis colligitur, bilem multa aqua, spiritu aromatico rectore, muco glutinoso, oleo resinoso, tandemque carbonato sodae constare. Bilis analisi tradita videamus nunc,

si qua saltem ex parte aliquid ex ipsa eruere possimus, quamvis ingenue fateamur, mutationes, quas arte fieri in ipsa observamus, non omnino in nostra vivente machina locum habere. Ut enim ordine progrediamur, aliquid de aeris effectibus nostris in permutandis humoribus, atque de peculiari hepatis affectione statuimus exponere.

Si attente itaque descriptas aeris conditiones consideremus, quae secundum Hippocraticas doctrinas non parvas in nostris corporibus mutationes inducunt, facile nobis erit suadendum, ex subitaneis tempestatum mutationibus, dum nostra corpora faciliori gaudent perspiratione, ob intempestivum rigidum frigus istam repente cohiberi, porulisque cutaneis contractis penetralia machinae humorem excrementitium facillime adire, secrectionesque (ut in-

terdum in aliquibus debilioris texturae corporibus sensibiliter evenit) ex aliqua praesertim augeri parte, ut exem. grat. lotii, alvique excrectiones id ostendunt, unde non abs re sit judicare, perspirabilem humorem, si a vitae viribus haud immutetur, dum in circulationis alveo retinetur, sanguinis crasin pervertere, eamdemque ad dissolutionem disponere. Nonne videmus aliquando a minima huiusce excretionis inaequalitate febres ephemeras, simplices synocos in aliquibus oriri?

Ponamus ergo, ex repetitis hisce tempestatum vicissitudinibus humorum naturam ad morbum disponi; ponamus etiam a continua athmospherae humiditate, quam hisce praesertim annis, in quibus febres dominatae sunt, observavimus, solidorum texturam, nempe eorumdem fibras relaxatas fuisse;

fiet ut viscera omnia quotquot sunt, secundum perfectum naturae ordinem fungi suo munere nequeant praesertim in corporibus ad morbum praedispositis.

Cum enim jecur inter corporis viscera fere omnium princeps jure possit haberi, utpote quod digestioni et chilificationi ob humorem quem secernit prospiciat, non poterat, quin cum debilius ab exposita causa in dies vel ipsum fieret, maiorem bilis quantitatem haud perfectae prorsus indolis elaboraret, ipsamque in semetipso ob muscularium fibrarum languidam elasticitatem retineret.

Quae cum ita sint, quomodo nam stomachi functiones perfecte peragi possunt, cum pravae naturae bilis in ipsum importetur? Si enim ex dictis conjectari liceat, omnes corporis functiones a naturali ordine amoveri, saliva, oesaphageus, gastricusque succus pravis alimen-

torum degenerationibus in ventriculo impediendis impares omnino erunt existimandi. Vidimus itaque in bilis analisi, quod huiusmodi humor moderato calori expositus facillime permutatur, nauseosum adipiscitur odorem, proprium colorem amittit, suam amittit tenacitatem, foetidum stimulantemque assumit odorem, et per balneum maris distillatione tentatus aquam praebet, quae in statum putredinosum facillime transit.

Quid ergo fieri posse credamus, cum ista male elaborata in ventriculo haereat, reliquisque a naturali statu remotis humoribus permixta? Illa sane exorientur mala, quae sat abunde praeclarissimum Swietenium monuisse testamur sententia in quam enuntiat in Boerr. aphoris. §. 84.

Si vero bilis, vel copia aucta, vel incipiente putredine peccet, corrumpit om-

nia, et morbos acutissimos omnia putrefacientes excitat.

Id quamplurimi celeberrimi artis magistri confirmant, interque hosce Hoffmannus asserere non dubitavit, quod si bilis in intestinorum cavitate diutius haereat, febres acerrimas, convulsiones, spasmodicosque dolores aegrotantibus affert, cum ex eadem causticitate stomachum veneni ad instar corrodere viderit; ut Bartolinum etiam id affirmasse certum est.

Ex expositis credo, neminem futurum esse, qui dubitet, causam febrium immediatam a bilis quantitate, ac qualitate extra naturae ordinem peccante esse derivandam.

Aeris vero humiditas, crebraeque ejusdem vicissitudines in corporibus ex aliis speciatim causis ad morbum praedispositis, uti causa remota, considerandae.

Tandem ne taedeat precor benevole Lector huiusce causae immediatae repetitionis in nostris febrium syntomatibus explicandis; nam ut rei veritas elucescat pluries ista uti opus erit.

DE FEBRIBUS

PRIMI ORDINIS.

§. I.

FEbres contagiosae, quarum descriptionem aggredimur, ex illarum genere, quas Veteres synoco-putridas nuncuparunt, non sunt immerito reputandae. Dum itaque de istis nunc agendum sit, et in tres ordines easdem dispescere; uniuscuiusque autem ordinis propria, ingenuaque etiam syntomata describere decreverimus, opus erit ut benignas in primo ordine, malignas in secundo, complicatas in tertio consideremus.

Unamquamque aetatem sexum, ac temperamentum nostrae febres invadebant, de corporis lassitudine, laeso appetitu, lenique capitis dolore, qui morbo laborabant, conquerebantur; tandem

febre corripiebantur, quae cum horrore, oris amaritudine, nausea, et aliquando in vomitum propensione, vultu rubicundo, aucto capitis dolore, pulsibusque celeribus, neque duris, neque parvis, alvoque tandem constipata ingruebat.

§. II.

Horum syntomatum apparatu aegrotantes lectum adibant. In nonnullis emeticis, in aliis purgantibus primo morbi die aliquo cum effectu usi sumus, cum oris amaritudo, et in vomitum propensio aliquantulum minueretur. Materies autem, quae per vomitum, perque alvum ab aegrotis rejiciebatur, flavum, vel viridem colorem praeseferebat. Sed a linguae exploratione, quae semper pituitosa, viridescentique crusta erat obducta, a permanente oris amaritie, et in nonnullis a ventriculi pondere, obtusisque abdo-

minis doloribus in secundo, tertio, ac quarto morbi die ad lenia iterum purgantia, vel ad tartarum emeticum multa in aqua solutum confugere fuimus coacti, ex quibus novas praefatae materiei evacuationes obtinebamus. Pulsus qui morbi initio debiles potius extiterant, post alvum exoneratam magni, ac validi fiebant. Aliquibus in quinto capitis dolor exasperabatur, qui cum magis magisque deinceps recrudesceret, pulsuumque vires sanguinis missionem exposcerent, ut plurimum in sexto, ac septimo die in fortioribus eam ex brachiis, in debilioribus vero cucurbitulis supra scapulas incisis parva dosi imperabam; perraro duas sanguinis missiones fecimus, at si morbi circumstantiae alteram exposcere videbantur, ex cucurbitulis illam solummodo instituimus. Aegrotantibus toto morbi tempore potiones

subacidas nitratas, serum lactis, et aliquibus tuxi vexatis oximel praescripsimus, uti et quotidianos clysteres, quibus auxiliis in nono, decimo, undecimo, decimoquarto, ac decimoquinto die spontaneis alvi fluxibus, foetidis, flavoviridibus subortis una cum universalibus aliquando sudoribus morbus in perfectum sanitatis statum exitum inveniebat.

§. III.

Res solummodo ita se habebat in illis qui fortiori erant praediti temperamento, neque animi pathematibus, crapula, venere, aliisve antea morbis vexati fuissent. Alii vero e contra vel ex natura, vel ex rerum non naturalium excessu aut defectu debiles, quamvis syntomata purgationem indicantia essent experti, et quatuor primis etiam morbi diebus lenes solutivas potiones, vel tar-

tarum emeticum solita methodo assumpsissent, parum, aut nihil descriptae materiei per alvum deponebant; sed in septimo, aut octavo cum nausea, anxietas, auctus capitis dolor, oris amarities, lingua sordida, abdominis obtusi dolores, metheorismi etc. nova purgantia indicarent, horum usu quamplurimam exonerabant materiam foetidam flavoviridem, quae usque ad decimum, atque undecimum diem simplicissimis clysteribus coadiuvantibus perdurabat. Istis in circumstantiis febris typum remittentis, vel intermittentis assumebat, qui facilius chinae chinae usu profligabatur.

§. IV.

Ex allatis vidimus, descriptas febres benignas per alvi fluxum perque sudores sola natura, vel arte judicatas fuisse.

Attamen unum possem casum afferre, quo Hoffmanni, Vallisnerii, aliorumque observationes comprobantur, febres nempe reperiri, quae per sanguinis eruptiones judicantur.

Iuvenis viginti septem annorum, temperamento praeditus sanguineo bilioso, extra portam S. Nicolai habitans, mense Septembri 1790. febre corripitur, cum virium fractura capitis dolore, oris amaritie, lingua mucosa viridescentique muco obducta, pulsibus non valde resistentibus, praesertim de obtuso dolore epigastricam regionem occupante, ad usque renes extenso conqueritur. Medicus accersitus cremore tartari aegrotum purgat, sanguinemque ex brachio modesta dosi mittit, subacidisque potionibus tractat. Febris demissior toto primo septernario servatur, sed oris amaritudo, dolorque capitis, et epi-

gastricae regionis aequali modo perdurant. Medico tunc temporis nescio quo morbo correpto ipse subrogatus in principio secundi septennarii curationem assumo. Cumque syntomata novam purgationem exposcerent, potionem ex manna confectam praescripsi, cuius usu ter alvus porraceis, flavis foetidoque odore redolentibus materiis exonerata est. Mitescit capitis dolor, sed aeger irrequietus fit, et tussis qua ab initio identidem vexabatur, tunc frequentissime supervenit, jugulique dolorem pedissequum affert. Abdomen pluries contrectavimus, semperque dexterum hipocondrium ad quamlibet levissimam etiam pressionem dolentem invenimus. Febris autem circa decimum diem ingravescit, pulsusque tantum roboris acquirunt, ut novam sanguinis missionem exposcant. Sanguinem ergo ex brachio mittimus,

et continuas emollientes fomentationes, atque clysteres tentamus. Hisce auxiliis minuitur febris, sed syntomata aequali modo persistunt. Decimo quarto demum adventante die aeger naturaliter per alvum quatuor, vel quinque atri, piceique coloris sanguinis libras deposuit. Quod cum maximo timore perculisset parentes animo suspenso meam sententiam sciscitabantur. At cum post hanc dejectionem, imminutam valde febrem aliaque syntomata invenirem pro evacuatione critica eam reputandam esse existimavi; immo cum de futura valetudine certiores illos facerem, usum eorundem clysterum illis commendavi, quorum ope aliam parvam sanguinis evacuationem habuimus, deinceps autem clysteres omnino interdixi, et solis potionibus diluentibus in vigesimo primo die aegrotans recte convaluit.

§. V.

Natura semper suis in operibus praesertim in morbosis affectibus mirifice se gessit, neque enim apud veteres medicos casus huiusmodi desunt, quoniam, ut plures taceam, unum solummodo referam, qui in Ildano legitur, in quo pertinacior caephalea sanguine ad quinque libras ex intestinis fluente perfecte curata est.

Hoc febrium genus benignis stipatum syntomatibus primum novembris, decembrisque mensibus invaluit, et januario adventate mense, cum causa morbum efficiens potentior fieret, novis auctae peioribus syntomatibus febres huiusmodi exortae sunt.

DE FEBRIBUS

SECUNDI ORDINIS

§. I.

IAm iam harum cohors febrium in Nosocomio ob aegrotantium multitudinem grassari coeperat, et quamvis benigne per duos fere menses suum curriculum explevisset, attamen, cum loci aer venenosis exundaret effluviis facillime contagionis ope ex uno in alterum morbus traducebatur, paullatimque suis in syntomatibus recrudescebat. Aegrotantibus servientes, Iuvenes chirurgiae studentes fere omnes in morbos speciatim secundi, et tertii ordinis inciderunt.

Syntomata ergo huiusce ordinis, quae nunc in medium afferemus, si in prima morbi aggressione considerentur,

mitiora, quam in primo ordine, unicuique videri possunt.

§. II.

Corporis debilitas, levis capitis dolor, appetitus dejectus certa futuri morbi erant presagia, quae multo antea aegroti experiebantur, quaeque nisi vires in diem debiliores evasissent, caeteris incommodis nondum exortis aegros lecto se committere nequaquam cogebant. Tandem parvula exoriebatur febris cum moderato corporis calore, levi oris amaritudine, vultu naturali; at si linguam inspiciebamus, haec solita obductam viridescenti pituitosaque crusta sese nobis offerebat. Cum enim de febris natura certi essemus, a levibus purgantibus curationem incipere consultum habuimus. Nonnulli parce saltem primis

diebus, alii abunde foetidam flavam materiam rejiciebant.

§. III.

Post quatuor, vel quinque dies, et speciatim post levissima etiam repetita purgantia febris, calorque corporis mirum in modum augebantur: pulsus vero celeres, parvi, ac debiles inveniebantur, rubicundi vultu tunc erant aegroti, cum sanguineis per oculi conjunctivam serpentibus vasculis cruore maculatis, deque capitis dolore magis conquerentes, habitum oris putidum reddebant, sordidamque de more linguam retinebant, urinis vero naturalibus perdurantibus. Non semper in quarto, vel quinto, sed etiam in sexto, ac septimo die haec prodibant syntomata.

Si febricitantium temperamenta maxima essent praedita sensibilitate, vel

si pulsus concitatiores, tunc solummodo tartari cremorem usque ad unciam in quatuor, vel quinque libris aquae infusum cum debita mellis, vel mannae quantitate coniunctum pro purgativa potione aegroti assumebant, ut hoc auxilio absque magna viscerum exagitatione se alvus exoneraret.

§. IV.

Animadvertendum tamen est, quod huiusmodi potio alternis diebus in aliquibus, in aliis etiam tertia quaque die repetebatur; et qui huiusce usum perferre non poterant, quotidie clysteres ex melle confectos, potiones mellitas subacidas, serumque lactis assumebant.

Tartaro emetico isti aegrotantes si usi essent, ita febris recrudescebat, ut aucto corporis calore una cum magno

vultus rubore, oculisque micantibus, pulsibus celerioribus, contractisque, sudores maximo cum detrimento exorirentur; quae omnia semper uti futuri delirii signa nos consideravimus, et revera illud vidimus in nono die pluries supervenisse. Verum tamen est, quod non ex tartari emetici usu solummodo aegrotantes delirio corripiebantur, sed ex morbi natura, quoniam ut plurimum in nono, vel decimo die illud omnes experti sunt, eo tamen discrimine, quod illi qui tartarum emeticum perferre non potuerint, ante delirium gravioribus affligebantur syntomatibus, citius delirabant, per longum tempus in hoc statu permanebant, syntomaticosque sudores profundebant. Quibus autem validum erat temperamentum, vel quadratus, et obesus corporis habitus, et vires maxime fractae orisque amaritudo, et ad vo-

mendum pronitas, ii tartarum emeticum in quacumque morbi die cum utilitate assumebant, cum vel vomitus superveniret, vel alvus flueret, vires autem erigerentur, et dolor capitis mitesceret.

§. IV.

Cum autem morbus omnia artis auxilia usque ad septimum, vel octavum diem in nonnullis rejiceret, et in pejorem potius statum rueret; dolore capitis, corporis anxietate, calore, vultus rubore, uti diximus, auctis, hisce omnibus tandem delirium in nono, vel decimo die cum petechiali aliquando eruptione, et ad somnum propensione superveniebat.

Mirabitur fortasse aliquis, cum nondum de sanguinis missione in harum febrium principio adhibenda actum sit.

Dicam idcirco, quod si istam primis morbi diebus adhibuissemus, tantum corporis vires detrimentum patiebantur, ut nova et periculo plena syntomata in scenam prodirent. Nam pulsus etiam in fortioribus, debiles, et quasi vacui nostro sub attactu deprehendebantur, murmura in abdominis regione persentiebant aegroti, aere tumebant intestina, diarrhoaea colliquativa exoriebatur, quae eos fere ad limen mortis adducebat, neque temperantibus remediis tam facile poterat sedari. Postremo continuo vexabantur singultu, et in statum soporosum vergebant.

§. V.

Id verum esse subsequens historia comprobabit.

Vir quadraginta quinque annorum

Nosocomio inserviens, fortis, temperamento praeditus sanguineo bilioso hac febre corripitur. Capite laborat, vultu rubescit, oris amaritie vexatur, pulsus celeres, ampli, potius resistentes sunt, calor corporis auctus. Exhibito prius leni purgante, qui alvum moderate exoneravit, sanguinem parva dosi mittimus, post quam capitis augetur dolor, et aequali ratione corporis calor, oris amarities, pulsuum conditiones persistunt. Serum tunc ex manna saturum ad uncias sex in tertia morbi die illi propino, et alvus iterum fluit; sed pulsus aeque resistunt.

Phlebotómia denuo jubetur quarta die in dosi, quae primam coaequet, nempe ad uncias circiter quinque. Quinto morbi die pulsus fiunt debiles, corporis imminuitur calor, stupet aeger. In sexto pulsus sunt irregulares, in octavo

intermittunt, et solvitur venter; nono lethargica paraphrosine aeger corripitur cum respiratione anhelosa, singultu, et tendinum subsultibus. Quid hisce in casibus agendum? ad vesicantia confugitur, ea brachiis, et sequentibus diebus posticae cervici, atque femoribus applicamus. Permanebat delirium, sed vires paullatim erigebantur, quamvis alvus soluta semper flavis materiis flueret, et tendinum subsultus, singultusque adessent. Syracusanum vinum sero lactis dilutum, et clysteres ex decocto chinae chinae cum nuceriana aqua coniuncto, fotibusque ad pedes adplicitis sola erant artis auxilia, quibus eum in statu hoc usque ad vigesimum diem curavimus, ex quo tempore paullatim paraphrosine, et ad somnum proclivitas evanuerunt, sed semper, pulsibus parvis, atque celeribus, alvus soluta manebat. Multa ex

astringentium, ac corroborantium ordine medicamenta per oris, perque alvi viam aegrotanti praebuimus, quorum postrema, nempe cortex cascarilla, rhabarbarum, et terra japonica sorbarum extracto admixta, et in bolos redacta una ac clysteres ex decocto chinae chinae, et aqua ferreis particulis per extinctionem infecta, hunc pertinacem alvi fluxum post triginta dies sistiterunt. Aegrotus denique hoc in summi languoris statu, absque corporis nutritione, fere semper febricitans solo lacte cum aqua Ilvana vulgo *del Rio* condito usque ad quinquagesimum diem pervenit, quo tempore perfecte convaluit.

§. VI.

Ex quo clarissime patet, sanguinis missionem in primo morbi stadio non-

nunquam magna emolumenta attulisse Nos vero cum ex juvantium, et laedentium doctrina, quam constanti lege contagiosis in morbis, uti ducem, sequi debemus, eam periculo plenam cognosceremus, nisi urgentibus morbi syntomatibus eadem usi numquam essemus. Circumstantiae itaque illam indicantes non nisi in septimo, vel octavo die offerebantur, in quibus morbi syntomata futurum delirium praesagiebant. Et quamvis pulsus syntomatibus recrudescentibus resistentes se nobis ostenderent, attamen hoc ab humorum stimulo oriri cognovimus. Sic fere omnibus, qui a me curati fuerunt, solummodo in septimo, vel octavo die sanguinem ex cucurbitulis ad quatuor vel quinque uncias ad summum misi, et si delirium protraheretur, vesicantibus primum collo, dein brachiis, mox femoribus, cru-

ribusque, si opus erat, applicitis profligare enitebar.

Innuimus superius, nonnullos una cum delirio peticularibus eruptionibus tentatos fuisse, idque nonnisi maximo cum emolumento vidimus evenire. Nam peticulis nono, vel undecimo erumpentibus mitescebant syntomata, et solis clysteribus, pedum fomentationibus, potu generoso acidis vegetabilibus imbuto, atque nitrato, seroque lactis, morbus decimo sexto, septimo, octavo, nono, aut vigesimo die post foetidas copiosasque dejectiones ad salutem tandem properabat. Sed cum febris typum quotidianae remittentis, vel fere intermittentis assumeret, illam cum chinae chinae extracto sicco in aqua dissoluto citri ad duas, vel quatuor drachmas facillime depellere potuimus.

§. VII.

Neque hisce solummodo auxiliis sustentata natura de morbo triumphos egit, namque non raro iisdem diebus ex aegrotantibus nonnulli sanguinis e naribus haemorrhagias eodem cum emolumento pertulerunt. Hic autem sanguinis fluxus non per unum tantum diem, sed per plures etiam guttatim pergebat; quam ob rem, ne in virium prostrationem inciderent aegri, solis potionibus acido vitriolico infectis, absque ullo detrimento, alvi fluxum refrenavimus.

Peticulis, ac haemorrhagiis correpti nullatenus a delirio immunes abierunt, quinimmo has illud praecedebat, solitisque quandoque etiam mitioribus auxiliis uti sat erat, ut febris eadem, ac superius, ratione exitum inveniret.

Dignum autem observatu est, quod

omnes aegrotantes, qui narium haemorrhagias sunt perpessi, numquam peticulares, miliaresque eruptiones experti fuerunt, sed constanter earum loco urinae difficultatibus corripiebantur, quod syntoma neque fomentationibus, neque anodinis, sed levibus solummodo purgantibus, putridisque materiis ejectis nobis superare concessum est.

§. VIII.

Proxime enarranda historia hujus rei veritatem comprobabit, quamvis quamplurimas possem describere; sed, cum omnes aequali ratione progrederentur, iisdemque stiparentur syntomatibus, supervacaneum existimo illas singillatim referre.

Iuvenis chirurgiae tirocinio in Nosocomio addictus viginti annorum tem-

peramento praeditus sanguineo hujusmodi febre corripitur. Syntomata, quae illum excruciant, haec sunt: levis capitis dolor, corporis maxima debilitas, oris amarities, et lingua solita crusta obducta cum pulsuum celeritate, debilitate, et exiguitate. Eadem methodo, iisdemque purgantibus febrem aggredimur; ex quibus moderate alvus fluit. Pergit per quatriduum febris absque syntomatum levamine, et assuetae oris amaritudini propensio etiam ad vomitum additur. Tartarum emeticum in quarta die adhibuimus, ex quo non per vomitum, sed per alvum solita materies rejecta est. Huiusce medicamenti usum usque ad sextum diem prosecuti sumus ad grani unius pondus multa in aqua soluto: sed quamvis alvus semper fluxerit, nihilo tamen minus corporis calor increbuit, vultus rubuit, oculi

scintillarunt, sudores affatim absque levamine manarunt, ita ut ab illo abstinere opus fuerit, cum potius detrimentum quam emolumentum afferret.

Tunc serum lactis, ac potiones mere subacidas, easdemque catharticas, scilicet ex succo malorum medicorum, cremore tartari, et melle confectas propinamus, cruraque fomentationibus obvolvimus. Omnia perperam, iisdem permanentibus syntomatibus et alvi fluxu. Nono die noctu delirat, diu autem compos suae mentis est, recteque loquitur, sed vultus oculique quammaxime rubent, acerboque capitis premitur dolore. Cucurbitulas super scapulas incidimus, et vesicatorium in posteriorem colli partem imponimus. Post haec sanguis decimo die ad aliquot uncias ex naribus effluit; at nil mitescit morbus. Femoribus denuo vesicantia duodecimo

adponimus. Prodit iterum ex naribus sanguis guttatim, et partitis vicibus per duos integros dies; dein aeger non amplius delirat. Cum itaque etiam in decimo quarto sanguis ex naribus emanasset, et metus subesset, ne aegrotans in summam virium jacturam rueret, aquam acido vitriolico conditam pro potione adhibuimus, cujus usu effectus nostris indicationibus respondentes prodiere suppressa penitus emorragia narium. Peticulas vero minime vidimus, sed a decimo usque ad decimum quintum diem urinae maxima difficultate fluxerunt, ac facultates loquelae inservientes mirum in modum labefactatas deprehendebamus; nam semper balbutiebat aegrotans, dum suam aerumnosam medico, vel adstantibus exponeret conditionem. Cum itaque is a catharticis abhorreret potionibus rhabarbarum tamen in bolos redactum

assumpsit, cuius ope flavas, virides, pessimeque olentes foeces una cum duobus lumbricis summo cum emolumento rejecit, urinaeque inde recte fluxerunt cum omnium aliorum syntomatum alleviatione. Sic aeger in dies hisce auxiliis ad salutem accessit; et febris, quae usque ad decimum septimum vel octavum diem typum remittentem praesetulit, se deinceps in intermittentem commutavit, et chinae chinae usui facile cessit.

§. 9.

Ante quam huic ordini finem imponam, illud animadversione dignum reor, nonnullas harum febrium primis duobus septenariis more tritaeophiearum progredi consuevisse, eoque tempore si cardiacis, vel mitissimis diapho-

reticis tentatae fuissent, licet, corporis pulsusque vires, ad extremum fractae viderentur, in pejus ruere, perfrequenter. Nil validius ad vires erigendas, quam vesicantia, in huiusmodi febribus deprehendimus, quibus et pulsus sublevabantur, ac delirium, et propensitas ad somnum mirum in modum depellebantur. Quod spectat ad alvi fluxum qui a quamplurimis inter practicos hisce praesertim in febribus, tamquam malum omen habitus est nostris in febribus ita conferre videbatur, ut ab initio in nonnullis usque ad febris terminum, sive a natura, sive ab arte derivatus cum maximo aegri levamine obtineretur.

DE FEBRIBUS

TERTII ORDINIS

§. I.

SYntomata, quae characteres huiusce ordinis complectuntur, benignorum, vel malignorum et quod communius est utrorumque naturam praeseferunt, aliis quoque novae indolis in principio ac morbi decursu accedentibus, ex quibus omnibus aegritudinis complicatio coagmentatur. Id tamen quoad observatio nostra valuit, non magnum relate ad morbi genium ac terminum discrimen induxit, sed relate ad curationem incipiendam, riteque dirigendam medici ingenium, atque solertiam quam maxime torsit. Solita virium prostratio, solita anorexia, et oris amari-

ties morbum praecedebant. Alius tussi vexabatur, alius de motibus convulsivis, deque faucium, pectoris, capitisque doloribus, ac vertigine conquerebatur; oppressa erat in aliquibus respiratio, in aliis profunda; nonnulli demum de dolore epigastricam regionem occupante querebantur. Inficiari non possum, me pluries haesisse, num febris pleuritica esset, an peripneumonica, cum syntomata, quae illam sequebantur, pleuritidem, vel peripneumoniam adamussim repraesentarent. Nam ubi primum febris huiusmodi cum rigore aegrotantes adoriebatur, statim de pectoris dolore querebantur cum tussi sicca, respirationeque laesa, parva, nulla oris amaritudine, urinis sanis, lingua fere naturali, vultu rubicundo, pulsibusque resistentibus, celeribus, contractis; ex quibus omnibus de pleuritide potius, vel de pe-

ripneumonia, quam de nostri generis febre dubitatio induci videbatur. At cum mihi altius menti inhaereret, quod in quacumque anni constitutione, dum aliquod debacchatur morbi genus, omnes quotquot suboriuntur aegrotationes, sub eiusdem dictione, ut ita dicam rediguntur, ideo syntomata pleuritidi aemula, tamquam principis morbi effectus complexos omni jure existimavi, iisdemque curativis indicationibus febris a nobis aggressa est. Quoniam Sydhenamius ait: *Quisquis fuerit morborum, qui ea tempestate prae ceteris invaluerit, principatum omnium, qui isto anno invadunt, obtinuisse facile deprehendetur, cuius ingenio, epidemici quotquot sunt se accomodant, in quantum eorum fert natura*. Qua de re spretis syntomatibus quasi futilibus contra febrem eadem curationis methodo ab

initio usque ad finem pugnavimus. Quae sequitur historia veritati lucem afferet.

§. II.

Vir quadraginta quinque annorum temperamentum habens sanguineum, haemoptysi obnoxius, febre corripitur, cum capitis dolore, virium defectu, ore sicco, lingua albescente, urinis naturalibus, vultu rubicundo, pulsibus celeribus, magnis, parum resistentibus, sed de obtuso pectoris dolore conqueritur, qui aegrotantem impedit ne commode in leva thoracis parte possit consistere, cum respiratione fere naturali, subdolenti. Quamvis indicationes curatoriae sanguinis missiones innuere viderentur, attamen, cum de materiis virosae indolis ventriculum, intestinaque occupantibus suspicaremur, Practicorum praecepta ad

pectoris morbos spectantia pro nihilo habuimus, et a potionibus catharticis curationem incepimus; tribus mannae in totidem aquae unciis solutae aegro propinatis, hanc potionem paullo post per vomitum rejecit, absque viridescentis flavaeque materiae amarulentae commixtione. Hac repetita potione vesperescente die flavas ab alvo rejecit feces. Sed cum catharticas potiones deinceps renueret, decoctum alteae in secunda die una cum lactis sero coniunctum, maximaque purissimi mellis quantitate oneratum pro assidua potione commendavi, eodemque tempore mellitos clysteres injiciendos jussi, quibus auxiliis alvi dejectiones solitam materiam fluidarum foecum bile flavescentium offerebant, urinis semper sanis, pulsu dolore pectoris aequali ratione permanentibus. Sanguinem ergo tertia vesperescente die ad uncias quinque mitti-

mus, solitisque potionibus clysteribusque insistimus. Verum nil emolumenti usque adhuc in aegroto conspiciebatur, quinimmo de peculiari ac novo dolore hypocondrium dexterum afficiente lamentatur, qui dolor ad jugulum usque producitur. Abdomine explorato illud turgidulum, et vel levissimae compressionis impatiens invenimus, omnibus syntomatibus potius recrudescentibus. Verbis exprimere non possumus, quibus nos animi motibus exagitaremur, cum de viro probo, patrefamilias, nobis amicitia juncto ageretur, qui in medicamentaria Nosocomii officina locum primi pharmacopolae occupabat. Solitis ergo clysteribus, fomentationibusque abdomini impositis iisdemque potionibus utimur. At in quinto morbi die, cum febris recrudesceret, et pulsum conditiones aliam denuo sangui-

nis missionem indicarent, illam aegrotanti proposui.

Haeret quammaxime aeger, summoque timore percellitur, et consultationem Excellentissimi Petri Visconti nostri Nosocomii Praefecti exposcit, qui cum de morbi genio, atque natura mecum conveniret, sanguinis missionem perexigua quantitate peragendam existimat. Praeterire silentio hoc loco non possum, ut nostrae observationes fide digniores reputentur, hunc praeclarissimum Virum medicis physicisque doctrinis quam maxime spectandum plura de mea medendi ratione in Nosocomio novisse, cum a plerisque aegrotantibus, chirurgiae studentibus, meae curationi commissis eius judicium exposceretur eumque perfrequenter ex humanissimi et vigilantissimi Commissarii nostri jussu, rebus in peius ruentibus, consultorem habuerim.

In quinto itaque morbi die sub vesperas quatuor sanguinis uncias misimus, eidemque semper methodo insistimus, suoque fato aegrotum relinquimus. Sexta die mane omnia melius se habebant, cum venter per noctem ubertim fluxerit, ita ut aliis sequentibus diebus in fluxus ventris ratione meliorem semper morbi conditionem consequeremur. A sexto itaque usque ad nonum verba desint si materiei ex alvo effluentis quantitatem velim describere una cum profusis sudoribus, quae materies solummodo pulli jusculo pro potu assumpto feliciter excernebatur. Febris autem magis magisque, cum mitior fieret, syntomatibus omnino evanescentibus in nono tandem die, ipse cum maxima animi hilaritate, viribusque corporis perfecte se habentibus integrum sanitatis statum tandem se esse assequutum fassus est.

§. III.

At quis fortasse reponet, huiusce morbi cursum, et syntomata, cum biliosa peripneumonia adamussim convenire; et revera methodus etiam curationis, quam adhibuimus, iisdem indicationibus perfecte collimat. Id solum hoc in casu observandum est, quod quamvis tussis aegrotum exagitaret, attamen, si aliquid limphatici excipiatur, minimaque etiam quantitate in primo morbi impetu, nil amplius per os ipse rejecit. Verum tamen est quod obtusus pectoris dolor speciem morbi simulat; sed cum jecur bili pravae natura esset oneratum, ideoque aliquo spasmo affectum, nil mirum si partibus cum eo conjunctis in consensum ductis, diaphragmate nempe nervoque frenico respiratio dolorosa,

dolorque pectoris jugulique in principio, atque decursu morbi turbas civerint. Syntomata ergo quae pectoris hisce in morbis affectionem simulant, vel a jecure prava bile turgente, vel ab eiusdem bilis acritate in circulationis alveo fluente oriri putamus, ideoque alvi materiis copiose fluentibus omnia prorsus evanescere.

Mittendi ergo sanguinis indicationem hoc in casu nobis praebuerunt aegrotantis temperamentum, in haemoptysin proclivitas et spasmodicus jecuris status, quoniam respectu morbosi genii, ne hilum quidem discriminis hanc inter aliasque a nobis observatas febres intercedere putavimus.

§. IV.

Neque hic finitur Orestes. Nam

licet febris quam descripsimus complicatis stiparetur syntomatibus, citoque ac perfecte in salutem terminaverit, non defuerunt tamen aliae atque aliae, quae quamvis primis diebus leniter progredi viderentur, attamen aliarum more exitiosis recrudescebant syntomatibus, ut non solum maximum vitae periculum portenderent, sed etiam mortem afferrent. Solitis aegrotos signis febres istae adoriebantur, sed quod dignius observatu erat, nervorum systema hisce in aegrotis mobilius deprehendebatur, ita ut vel spasticos dolores, vel vocis defectum, vel motus leves convulsivos, vertigines, subsultusque tendinum, cum magna ad sudores proclivitate aegroti experirentur. In nono autem, decimo, vel undecimo die solito corripiebantur delirio, quod a pustulis miliaribus totam corporis superficiem

occupantibus brevi temporis spatio interposito consequebatur; quae pustulae frequentissime cum eruptione peticulari consociabantur. Neque in toto morbi decursu ventris deerant evacuationes, quae vel natura, vel arte inductae absque ullo miliarium, peticularumque detrimento, immo maximo cum emolumento usque ad morbi terminum producebantur. Ne itaque vel hac de conditione exempla desiderentur, duos huiusmodi casus referemus.

§. V.

Iuvenis viginti annos agens temperamenti sanguinei, Nosocomio inserviens, febre corripitur, quae virium debilitatem, capitis dolorem oris amaritudinem comites habuit. Primis quatuor diebus quemdam febris servabat modum cum pulsibus

debilibus, ac parvis. Solitis catharticis adhibitis alvus moderate fluit, rejecta materia viridi, flava, maximoque foetore redolente, in quinto tussis exoritur absque ullo in pectore doloris sensu, verum in faucibus, quas insueta asperitate vigentes et phlogosi licet levissima correptas invenimus.

Pulsus fiunt celeriores, magisque contracti, augetur capitis dolor musculique oris, et palpebrarum involuntariis aguntur motibus, quibus noctu spasticae musculorum gemellorum suras componentium contractiones succedebant; sexto autem die capitis, fauciumque dolor corporis anxietas, faciei oculorumque rubor, tussis tendinum subsultus quammaxime increscunt ita ut ingruente septima die cucurbitulas super scapulas incidere et fotus plantis pedum apponere necessum fuerit. Nono die delirium

pervenit, quod, ut sedaretur, vesicantia brachiis imponimus; in eodem statu illud persistit: decimo die vesicatorium posteriori colli plagae applicamus, et pro potione decoctum sambuci floribus, et liquore anodino Hoffmanni conspersum propinamus, solitisque utimur pedum fomentationibus: pulsus semper celeres, debiles, convulsi permanent. Undecimo die cutim parvis elevatis pustulis milii figuram referentibus conspersam inspicimus, inter quarum spatiola parvae rubri coloris maculae morsus pulicum aemulantes consistunt, sudoresque abunde profluunt, urinae vero citri colorem referunt; delirium minuitur, convulsivi motus perdurant, sed paullatim eruptione peracta decedunt; fluit venter, et eorumdem clysterum usu quamplurimam solitae materiei quantitatem obtinuimus. Decima tertia die suae compos est mentis, et

febris remittentem typum perfecte assumit. Tunc chinae chinae extractum siccum in aqua citri solutum adhibemus. Hoc in statu usque ad vigesimum diem febris perdurat, in quo tandem aegrotans perfecte convaluit.

§. VI.

Iuvenis chirurgiae studens decimo octavo suae aetatis anno febre corripitur cum magno capitis dolore, lumbagine, recurrentibus horripilationibus, quas sequebatur totius corporis calor cum viribus fractis, pulsibusque parvis celeribus, parumper inaequalibus; de pondere stomachi conqueritur, sed linguam potius albescentem retinet. In prima, tertia, et quinta die cum manna, et tartari cremore in sero lactis soluto aegrotum purgamus, quibus quamplurimas

biliosas, foetidasque evacuationes obtinuimus, cum maxima stomachi alleviatione caeteris syntomatibus aequaliter manentibus. Septima die sanguis ex naribus guttatim effluit, et quamvis syntomata meliorem aspectum assumere videantur, vires tamen in dies imminuuntur. A septimo ad undecimum diem lenes convulsivi motus, tendinumque parvi subsultus observabantur, quibus decoctionibus florum sambuci liquore anodino Hoffmanni infectis occurrimus. Undecima die magis prosternuntur vires, oculi rubescunt, scintillant, delirium adventat, cutis rubet, et si eam recte inspiciamus, ex parvulis pustulis milii figuram referentibus conspersa apparet, quarum spatiola peticulae rubri coloris occupant. Venter sponte solutus est, et evacuationes sunt frequentes; pessimoque odore redolentes. Hoc in statu amplam cu-

curbitulam supra collum incidimus, et inter scapulas magnum epispasticum imponimus: clysteres deinde ex chinae chinae decocto injicimus et camphoram in aqua citri mixtam cum extracto chinae chinae sicco pro potione propinamus. Sed omnia incassum, immo delirium a comate vigili exceptum augetur, et quamvis hirudines temporibus, vesicantia cruribus atque femoribus applicuissemus, homo tamen in decima quarta die omnibus in pejus ruentibus e vita migravit.

§. VI.

Ad nostras tandem observationes locupletandas non absimilis morbi historiam ipsissimis verbis referam celeberrimi in arte medica Alexandri Bicchierai, Publici in Academia Pisana et ex

mandato Regio in nostro Nosocomio Medicinae practicae Professoris, qui physicis, anatomicis, practicisque doctrinis ita valet, ut verum nostrae Patriae decus jure possit meritoque reputari.

Nobilis Adolescens Ioannes Archer Britannus decimo septimo Kalendas Decembris Florentiam advenit, eodemque die hora sexta pomeridiana eum invisi. Referebat, se post varias Germaniae Regiones praesertim Serviam, finitimasque Provincias maximis itineribus peragratas jampridem infirmae valetudinis indicia persensisse, Venetiis fluxu ventris laborasse, demum in foro alieni ex febri aegrotasse quae ab undecimo permanebat. Virium fractio, musculorum tremores, ad Lipothimiam, et vomituritionem proclivitas, inaequalis arteriarum percussio, et exilitas, dolores cervicales, lingua sordida, tactu humida, alvus potius laxa, quam

constipata, flavae foeces, abdominis levis inflatio synocum Cullenii arguebant.

Aegrum jussi in lectulo collocari, potusque ex aqua tartaro stybiato leniter infecta, et ex decocto camoemeli, alterne exibendos aequis brevibusque intervallis.

Postero mane stomachus viridem, alvus flavam dejecerat bilem, luteam ipse reddiderat urinam, nec magna quidem copia sudarat, arteriae elatiores nonagies micabant, sexagesima horae quaque parte. Aderant tamen eadem virium debilitas, musculorum subsultus, linguae foeditas, abdominis tumor: tota die in aegri statu nil immutatum. Decimo quinto Kalendas sudor, alvique evacuationes in spem melioris conditionis adducere videbantur, verum spei refragabantur musculorum spasmodici motus, linguae foeditas, virium prostratio, et aucta pul-

suum celeritas ad 104; *vesperescente die, lotiique ulterius imminuta quantitas. Ingruente morb decima quarta spiratio brevis insuetaque animi dejectio caeteris permanentibus syntomatibus male ominabantur, verum circa meridiem omnia melius habebant sese, sudorque ei toto corpore profuse manavit.*

Sequenti die summo mane, si meliorem faciem excipiamus, cuncta in eodem statu permanebant; verum circa horam quartam pomeridianam subsidentibus arteriis omnia in pejus ruere, frequentem fieri anhelitum, linguam magis sordescere, vires imminui, secretionem lotii sensim aboleri, abdominis tumorem augeri. Occursum est illico epispasticis ad inferiora applicatis, potu vinoso ex extracto sicco corticis peruviani saturo, et tartaro emetico infecto aliisque remediis, quibus substentari vires penes medicos opi-

nio est. Omnia perperam; nam aucta in horas morbi malitia, obortoque circa horam quartam pomeridianam delirio, spasmodicisque artuum omnium affectubus postridie ejus diei non ultra octavam, vitam produxit.

Febrium descriptarum variae, multiplicesque vicissitudines in mensibus praesertim novembris, decembris, januariique an. 1791, 92. insaevierunt; sed primo vere paullatim ipsae abierunt, quamvis nonnullae etiam serpere non illa tantum tempestate, verum etiam tempore aestivo mitescentibus syntomatibus visae sint. At autumnali tempore in scenam denuo cum eodem ferme syntomatum apparatu redierunt; quae in melius semper permutatae deinceps sunt, adeo ut brumali tempestate anni 1792. quamvis eumdem characterem servaverint, numero tamen et malitia, atque syntomatum

asperitate ab antecedentibus quammaxime discreparunt, neque adhuc ineunte vere non omnino devictae nobis videntur.

SYNTOMATUM

PHYSIOLOGICA EXPLICATIO.

SI quid unquam paullo subtilioris indaginis clarissimorum in arte Virorum exercuit industriam, illud profecto est, quod in variis morborum syntomatum causis explicandis versatur. Cum enim unusquisque morbus peculiare syntomatum genus sibi adsciscat, quibus contra naturae vires suam exerat potentiam, si natura contra illum pugnans novos in corpore motus procreare tentet, ut illum prosternat, atque devincat; si morbus vero propriis viribus naturae conatus antecellat, vel e contra utrique alterne fatiscant; si ex hisce tandem omnibus tot syntomatum larvae procreari possint, ut quendam pro-

teiformem aspectum fere omnis morbus, antequam ad suum perducatur terminum, consequatur, quomodo nam rationalis medici non intererit, reconditas syntomatum causas, quantum ingenii nervi possunt, expiscare, ut vera uniuscuiusque morbi syntomata a naturae conatibus valeat distinguere.

Clarissimus Tissotus eximius naturae, atque morborum indagator ab una solummodo morbosa causa innumerabilia syntomata oriri pluries expertus est; et quamvis, ut ipse loquitur, relate ad eorum naturam nihil ea inter se differre viderit, attamen faciem ita saepissime permutarunt, ut pro varia morbi sede, atque natura, pro corporis viribus et regionis situ, aeris qualitate, curationis methodus maximam, sic jubente necessitate, subierint varietatem.

Non poterit certe medicus nisi re-

cte perspecta, anatomicae indaginis ope corporis humani fabrica ullam medicam ratiocinationem instituere; quoniam nisi corporis functiones secundum naturalem vitae statum vigentes ex perfecta physiologia, quae jure meritoque animata anatome nuncupatur, adamussim valeat cognoscere, nullatenus vel statum corporis morbosum perfecte assequi poterit, cum plurimae secundariae nos circumstent causae, innumerae vero in nos extra naturae ordinem agant? In nostrarum itaque febrium explicandis syntomatibus a physiologicis doctrinis tamquam a primo medicinae fonte ordiemur, ut pathologicas rationes magis veritati consentaneas facilius liceat evolvere. Syntomata igitur, quae in ipso morbi ingressu afficiunt aegrotantes, cum virium prostrationem maxime inducant, ab hac, ut nostro muneri fiat satis, exordiri mens est.

DE CORPORIS DEBILITATE.

Nomine corporis virium nil aliud intelligitur quam perfectus ille corporis status, in quo partes omnes levissima quadam potentia moventur, actionesque variae absque ulla difficultate perfecte peragi possunt. Cum itaque ad motus efformandos peculiares a Divina sapientia potentiae institutae sint, quibus musculorum nomen ab anatomicis tributum fuit; idcirco musculi tamquam mechanica motus instrumenta considerandi. Cum enim musculus ex quadam peculiari carnea fibrosa substantia coalescat, quae mirabilem facultatem possidet figuram, et dimensiones immutandi eodem permanente volumine a qualibet causa exagitatus, vi huiusmodi ab immortali Hallero, qui primus omnium hanc illustravit, irritabilitatis nomen assi-

gnatum fuit; inde musculorum fibra halleriana irritabilitate praedita ab omnibus Physiologis nostro hoc aevo hunc immortalem facultatis medicae genium sequutis assumitur. Irritabilis autem vis, etsi musculari fibrae peculiaris sit atque propria, attamen concursu nerveae facultatis quammaxime indiget, ideoque sensibilitatis rationem, quae ad nervos spectat, quodammodo sequitur.

Nervorum autem facultatem a perfecta encephali structura, atque functione pendere neminem latet. Si enim ex quacumque morbosa causa corticalis, vel medullaris cerebri substantia labefactetur; sensuum actio, musculorumque motus in una, vel pluribus corporis partibus imminuuntur, vel intercipiuntur. Ponamus ergo: ex gr circulatorium sanguinis motum parumper auctum, corporis vero compagem humoribus exube-

rantem. Auctus motus, aucta humorum quantitas perfectam fluidi nervei secretionem impedient. Imminuta spirituum animalium secretione laxitas, torpor, somnus statim suboriuntur. In nostris itaque febribus corporis debilitas a peculiari veneficae indolis materia una cum bile speciatim conjuncta ortum ducere credenda est, quae in duodenum intestinum, ventriculumque delata horum viscerum nervos ita afficiat, ut perturbatis sympatice naturalibus encephali functionibus languidiorem fluidi motum per tubulos nerveos reddat, et ejusdem secretionem imminuat. Hanc in rem sic Swietenius commentariis §. 56. pag. 139. *A bile circa praecordia haerente non tantum convulsiones sed syncopen ortam fuisse observavit Galenus, de locis affectis lib. 4. Cap. 6. To. 7. pag. 493. excussa hac saburra per vomitum illico ces-*

sabant omnia haec mala. In febribus continuis quae epidemice grassabantur, mirabatur Sydhenamius sect. 1 cap. 3. pag. 57. praeter alia syntomata mala adesse ingentem ac subitaneam virium consternationem; emetico vero dato, omnia saeva illa syntomata, quae, et aegros excruciabant, et adstantes perterrefaciebant, illico mitigabantur. Non videtur autem omnia similia agere immeabilitatem liquidis conciliando, aut obstruendo canales, quia illico cessant omnia haec mala, dum ventriculo expelluntur. An mutatis ventriculi nervis directe in cor agunt ipsum? An prius cerebellum vitalibus corporis functionibus inserviens afficitur? Sufficit hic notasse mirum hunc effectum licet minus intelligatur, quomodo a similibus subitanea adeo debilitas fiat; simulque proderit hoc novisse, ne quandoque debilitas a tali causa pendens aliis adscribatur.

DE NAUSEA, VOMITU,

LINGUA SORDIDA.

Quidquid nerveas ventriculi extremitates irritare valet, in convulsivos motus, musculares stomachi fibras impellit. Si itaque ponamus in nostris febribus acriorem ac copiosiorem bilem obtinere, illud facile suasu erit maximam huiusmodi bilis quantitatem in ventriculo commorari, quae suapte natura nostris in ca sibus ad putrescentiam quam maxime vergens vires in hac degeneratione acquirere debuit. Hinc syntomata varia praesertim non tam per liberiorem aeris accessum, quam per febrilem aestum, nempe nausea, intestinorum dolores, ad vomitum propensio feliciter explicantur, quae omnia perduras-

sent, nisi aptis artis auxiliis, ut in febrium historia innuimus, infensa nervis materies removeretur. Si attente vero perpendamus, quod in vomitus propensione ventriculi parietes in quodam praeternaturali statu reperiuntur, ex quo statu motus peristalticus ad contrarium continuo tendit, patebit fieri non posse, quin id, quod in ventriculo latitat, versus fauces minima quamvis quantitate continuo regurgitet; et cum irritationis ope canaliculis salivalem humorem secernentibus huiusce humoris quantitas augeatur, idcirco haud os arescit, sed potius amaro sapore afficitur, lingua vero sordida, viridescentique crusta obducitur.

DE DELIRIO, VULTUS OCULIQUE RUBORE, EORUMDEM SCINTILLATIONE.

Tum quum homines illam animae facultatem, quae in variis inter se aequiparandis ideis versatur, iuxta sanum naturae ordinem exercere nequeunt, illos delirare dicimus, quoniam neque ad rectum iudicium, ratiociniumque efformandum valent, ideoque propriarum sensationum relationem cum externis obiectis nullo modo dignoscunt, unde inania loquuntur, mirabilia vero se inspicere arbitrantur.

Cum itaque sensibilitas peculiaris nervorum proprietas sit, ob quam cogitantis spiritus facultates reguntur, necessario nervi peculiaria sensationum instrumenta erunt considerandi, ita ut si

fiat, ut ratio perturbetur, fieri non possit, quin saltem aliqua ex parte nervis haec perturbatio communicetur. Quicumque enim stimulus, quamvis a capite remotus nervos divexet, quandoque sufficit ad totum nervorum systema exagitandum. Sed cum nervi, quotquot reperiuntur, a cerebro omnes oriantur; cerebrum tamquam commune nervorum centrum, ad quod omnes sensationes referuntur, est considerandum. Dolores atrocissimi in aliqua permanentes corporis parte id comprobare videntur. Iuvenis mihi consanguineus a dolorosissima partium auris internarum inflammatione correptus delirium phreneticum expertus est, sanisque artis auxiliis curatus fuit, quod etiam immortalis Cous senex pluries vidisse testatur. Plura hac de re referre possem exempla: sed cum multa in medicorum historiis reperiantur, et expe-

rientia quotidie nostris oculis subiiciat, inutile prorsus alia referre censemus. Ventriculum vero maximum cum capite commercium habere, nemo ibit inficias, cum alterationes unius facillime ad alteram propagentur, et vice versa. Exemplo sint facultates quas Napelus, foetidus Solanus, Cicuta, Iusquiamus, in perturbandis encephali functionibus possident. Cum enim in nostro producendo delirio bilis causa sit, haec in ventriculo stagnans magis magisque in putrefactionem degenerans stimulum nervis induxit, quorum ope ad cerebrum per consensum irritatio delata est. Et sicuti in nono die una cum delirio vultus, oculorumque rubor eorumdem scintillatio superveniebant; ita non tantum a bile in ventriculo haerente ista syntomata producebantur, sed etiam a tenuioribus acerrimisque eiusdem par-

tibus in circulum ingressis eadem oriri censemus. Nam cum bilis huiusmodi sanguini misceatur, acerrimisque particulis arteriarum tunicas pungat, illasque ad concitatiores contractiones impellat, fiet ut sanguis actione bilis magis dissolutus minima vascula quae pellucidum continent humorem ingrediatur, illaque distendat, ex quorum distractione auctus capitis dolor, vultus, oculorumque rubor, eorumdemque scintillatio pendere videntur. Cerebrum vero ab acerrimis biliosis vexatum particulis auctoque circulatorio motu exagitatum non tam syntomatice, quam idiopatice suas inordinate complet functiones; et quamvis anima intime corpori conjuncta ex sua natura corporeas alterationes pati non possit, attamen affecto corpore eiusdem potentias labefactari ex Divina iisdem concessa concordia statutum est.

*

QUA DE CAUSA IN DEBILIORIBUS AEGROTANTIBUS PURGANTIA PRIMIS MORBI DIEBUS PARUM, AUT NIHIL E CORPORE EDUCEBANT; CONTRA VERO IN SEPTIMO, AUT OCTAVO DIE RECRUDESCENBUS SYNTOMATIBUS.

Hepar principem esse nostrarum febrium fontem, ex dictis nemo poterit inficiari. Cum itaque hoc in viscere bilis pravae naturae secerneretur, quae in putredinosum statum facillime tendebat, ex hac acrimonia cum secretio augeretur, quammaxime jecur ab eiusdem aucta quantitate onerabatur. Dilatatis ergo pororum biliariorum fibris, eorumdemque elasticitate ad summum infirmata, bilis in iisdem cum lentissimo pro-

grederetur motu, difficillime ex ipsis in hepaticum, dein per colidocum ductum ad duodenum intestinum poterat perveni-re. At febrili motu in dies aucto, fibra-rumque elasticitate sensim adaucta illud necessario fieri debuit, ut facilius bilis per sua vasa, celeriusque moveretur. Cum ergo ipsa maxima acritate praedita in duodenum deplueret, citissimeque ibi corrumperetur, dolores stomachi, inte-stinorumque suscitabantur, quae synto-mata cum purgantium necessitatem in-dicarent, horum usu quammaxima bilio-sa materia putrida excernebatur.

Obtineri ergo evacuationes primis morbi diebus in debilioribus non pote-rant, cum tenui dosi in intestina bilis ferretur. Sed in validis temperamentis, cum fibrarum vires ab humorum quan-titate subigi nequirent, maxima bilis copia in duodenum intestinum continuo

deferebatur, ideoque ope purgantium medicamentorum rejiciebatur.

CUR INTESTINORUM HAEMORRHAGIA MORBUM IN AEGROTANTE PRIMI ORDINIS SOLVERIT.

Ut haec pathologica explicatio suadendi vim habeat, ex anatomicis illam eruendam iudicamus.

Sanguis, qui per abdominis cavitatem a corde propellitur, per celiacam, atque mesentericas arterias, superiorem unam, inferiorem alteram ad omnia eiusdem cavitatis viscera circumducitur. Per quoddam autem peculiare venarum genus valvulis destitutum ex liene nempe, et pancreate per venam splenicam, ex tenuibus, crassisque intestinis, ventriculo, ac omento, per magnam, par-

vamque meseraicam, haemorrhoidalemque internam venam iste resorbetur, qui venosi omnes rami in duos tandem confluunt truncos, qui dum in portarum jecuris valleculam commigrant, ibidem in unum commutantur, ex quo duo exoriuntur rami, quorum primus in ramos pene innumeros in dextero jecuris lobo dispertitus, vasorum sectione semper decrescente, sanguinem illi impertit; alter autem simili ratione progrediens sinistro eiusdem visceris lobo prospicit, et hoc pacto non amplius venarum, sed potius arteriarum more sanguis ad magnum secretionis officium obeundum per totam jecuris substantiam expanditur.

Abdominis itaque sanguis, cum lento motu procedat, ex particulis putredinosis, omentique pinguedine exundet, facillime, faventibus peculiari sanguini,

diathesi, temperamento, vitaeque genere, illud potest extra naturae ordinem accidere, ut vel nimia peccet liquiditate, vel densitate nimia. Si igitur quacumque de causa solida, vel fluida vitiante, lentius per descripta vasa procedat, humorque pinguedinosus omenti, vel dilutior, vel crassior, intimaque sua natura male fuerit constitutus, fiet, ut mutata sanguinis constitutione omnes mutentur conditiones. Coloris ergo varietas, varia consistentia, varia tandem indoles ipsius exsurgent; nec iniuria magnus medicinae parens Hipp. nomine nigri illum sanguinis fluxum per alvum, perque vomitum reiectum distinxisse credendus est, qui insuetam nigredinem praeseferebat, et piceo, fusco, atroque colore intime imbutus videbatur, tum cum mutatio de qua agitur ab una ex superius citatis causis ortum suum du-

cebat. Data enim vel nimia ventriculi intestinorumque debilitate, vel aliquo venoso infarctu in splene, hepate, aut etiam in intestinorum vasculis, data ea sanguinis acredine, a qua possint etiam vasa corrodi, haec omnia, uti causae morbi proximae, praesertim in quibusdam viscerum horumce morbosis conditionibus absque ulla dubitationis alea possunt recenseri.

Cum itaque in nostro aegrotante portarum sanguis lentissimo progrederetur motu, leniterque obstructum hepar spasmodica affectione corriperetur, quid mirum si quo tempore naturae vires ad profligandum morbum omnes conspirant, reseratis meseraicarum venarum vasculis niger, piceusque sanguinis fluxus per intestinorum cava undatim emanaret? nonne natura per criticum motum una cum vitioso gravante sanguine febris pabulum,

viscerum obstaculum, vasculorumque morbosam distractionem superavit? Et revera per haec naturae auxilia statim aegrotanti spes salutis affulsit.

CUR IN DEBILIBUS AEGROTANTIBUS A TARTARI EMETICI USU SYNTOMATA RECRUDESCERENT, IN ROBUSTIS MITESCERENT.

Vires medicamentorum incognita quadam ratione in organa nostra agere, et solummodo ab eorumdem effectis specificas eorum actiones cognosci, omnibus medicam facultatem exercentibus in comperto est. Dignius observatu est, quod medicamentorum actio in eo consistere videatur, scilicet, ut sensibiles, irritabilesque corporis partes peculiari

quodam modo ab istis afficiantur, ideoque pro maiori, vel minori partium sensibilitate vel irritabilitate varia producantur effecta, idque clarius elucescet, si unius tantummodo medicamenti actionem in corporibus varia sensibilitate, vel irritabilitate donatis experiamur. Maxima vero partium sensibilitas et irritabilitas in eo locata esse videtur ut nervei, musculaesque tractus tenuioribus, molliori-busque fibris coalescant, quod fieri non posset, nisi elementa has fibras componentia multum inter se distarent, et gluten illa adnectens nonnisi minima choaesione polleret.

Quaecumque enim causa stimulans facillime partium, quae sensu gaudent, superficiem in tali fibrarum statu ita potest afficere, ut effectus duplo maior prodeat quam qui in robusto corpore ab eadem excitaretur.

Tartarum ergo emeticum cum peculiaris e stybio preparatio sit, ex qua sensibiles irritabilesque stomachi fibrae ad motum cientur, ideo varii effectus secundum variam corporis constitutionem, indolemque morborum ab hoc debent produci, cum huiusce medicamenti actio non solum per ventriculi nervorum sympathiam ad totum vasculorum systema propagetur, sed etiam per absorptionem.

In nostris itaque febribus cum aegrotantes quammaxima afficerentur sensibilitate, concitatioresque ab humorum stimulo fierent arteriarum ictus, quicumque novus stimulus, vel a medicamentis accederet, tam potenter nervos muscularesque fibras exagitabat, ut motus magis vitae inimici quam salutares suscitarentur.

CUR POST NARIUM OBORTAM HAEMORRHAGIAM ERUPTIONES CUTANEAE ABESSENT; EARUMQUE VICE ISCURIA AUT STRANGURIA EXURGERENT; PURGANTIUM USU PROFLIGANDAE.

Naturam strenue in debellandis morbis saepe numero se gerere videmus, cum quaedam in eorum decursu alterationes, vel evacuationes exoriantur, quas nisi clinicus advenientes animadvertat, adventuras praenoscat, gravissima posset committere errata, vel intempestive agendo, vel cuntando. Cum enim peticulares miliaresque eruptiones a natura ad extimam depellerentur cutem, ut per hanc viam morbi causa e corpore eliminare-

tur, nonnisi absque virium jactura fieri potuit praesertim eo tempore, quo eruptiones erant prodituræ. At contra reseratis a motu critico in Nonnullis narium vasculis, viribus reactionis infirmatis, per renes ad vesicam materia morbosa delata est, quae cum maximum stimulum ibi induxerit, et spasmodicam affectionem excitarit, urinae difficultates exortae sunt. Qua de re cum maxima inter cutem, et internam intestinorum cavitatem consensio intercedat, idcirco purgantibus adhibitis materia morbosa e corpore excernebatur feliciusque hoc artis auxilio urinae fluebant.

Quibus vero explicatio, quam amplexi sumus, perfecte non satisfaciat, illos monitos velim, neque ab intestinorum spasmo ad vesicam per consensum delato phenomenon posse pondere, neque ab aere in eorumdem cavitate se-

cluso tumidioraque illa reddente, neque a partium atonia, eo quod inter omnes aegrotantes illi solummodo qui a cutaneis eruptionibus immunes erant, urinarum difficultate premerentur.

DE INTESTINORUM METHEORISMO.

Aerem inter cuiuscumque corporis elementa in fixitatis statu constitutum reperiri, ex physicis, chemicisque experimentis satis constat; ipsum vero tamquam adhaesionis primarium instrumentum esse ad corporis particulas inter se colligandas maxime idoneum, non est dubitandum, cum ipso e quocumque corpore avolante corpus ipsum dissolvi videamus. Specificas autem ipsius qualitates, rarefactionem, condensationemque cognoscimus, quum ipsum per va-

rios, vel caloris, vel frigoris, vel compressionis gradus tentamus. Abdominis ergo inflationes, quibuscumque in morbosis affectibus, ex tribus solummodo causis oriri posse censemus; nempe vel ab aere ex faecibus per quemcumque putrefactionis gradum secluso; vel a spasmodica intestinorum contractione; vel ab eorumdem atonia.

Ad primam quod spectat, ex quodam intestino motu udore, et calore faventibus partes materiarum dissolvuntur, aerque extricatur.

Ad secundam; in spasmo calor augetur, aer rarefit. Ad tertiam; ab imminuta intestinorum contractili vi aer haud amplius coercetur, ergo distenditur. Nostrarum febrium metheorismus a quodam putrefactionis gradu oriri non dubitamus. Aliquid de tremoribus convulsivis, de musculorum spasmodicis af-

fectionibus, de tendinum subsultibus dicendum superesset, quae omnia illis solummodo, quibus exanthema miliare proditurum erat, superveniebant.

Sed cum haec tamquam effectus circulantis veneficae materiei consideranda sint, cuicumque erit persuasum, a maiori vel minori stimulo, relate ad materiae quantitatem, ac variam partium sensibilitatem, et irritabilitatem, varia haec syntomata induci, quae paullatim eruptione peracta mitigabantur.

DE VARIIS SENTENTIIS CIRCA PETICULARIUM MILIARIUMQUE DIVISIONES, NEMPE, NUM PRIMARII, AN SECUNDARII, VEL SYNTOMATICI MORBI REPUTANDI SINT.

§. I.

Quamvis primo intuitu nos a proposito aberrare videamur, quum medicas disceptationes tractare audemus, attamen non abs re esse judicavi, cogitata magni nominis medicorum exponere, qui sibi quaestionem enucleandam proposuerant, utrum exanthemata peticularia, et miliaria primaria, an secundaria morbi syntomata haberi deberent.

§. II.

Peticularis itaque morbus ante decimum sextum seculum innotuisse negatur, sicque incognitus veteribus existimatur. Nam Bursierius in sententia Fracastori referenda ita loquitur de morbis contagiosis lib. 2. cap. 6. *Morbus novus tum in Italia habitus ex plagis orientalibus, speciatimque ex insula Cypro ad nos perlatus. Discrepatum quidem a nonnullis est an veteribus medicis esset cognitus nec ne. Communior sententia fuit apud Veteres nulla vestigia eiusdem reperiri.*

Huiusmodi morbus a peculiaribus in cute conspicuis maculis pulicum morsus aemulantibus nomen accepit, quae nunc magnae, nunc minimae, supra cutem non elevatae, variisque coloribus praeditae pro morbi variarumque eius-

dem circumstantiarum natura sese offerunt.

§ III.

Variae de istiusmodi morbi divisionibus inter magni auctores nominis lites agitatae sunt, cum nonnulli in primarias, ac secundarias peticulas dividendas putarint, secundarias autem in criticas, et syntomaticas, quas febribus non solum continuis cuiusque generis, sed etiam intermittentibus viderunt supervenire: alii vero istas peticulas syntomaticas solummodo habendas esse censuerint.

In priori sententia Clarissimus Bursierius fuit, qui solummodo secundarias peticulas in criticas, et syntomaticas autumat posse dividi, quoniam primarias ad peculiarem exanthematicum mor-

bum referendas opinatur. Nam sicut ipse pluries expertus est, variisque id auctoribus comprobatum comperiit, ut Petro à Castro Petro Salio diverso, Iohanne Fantono, Carolo Strachio, Carolo Iosepho Damilanio ec. homines peticulis quandoque corripiuntur, et absque ullo incommodo suis funguntur muneribus, atque per vias, perque plateas feliciter discurrunt; idque argumentum satis firmum esse credit ad suam thesim perstruendam.

§. IV.

Utque res clarius elucescat, in ipsis epidemiis non raro prius peticulae, quam febris, exortae sunt, nec cathartica, nec aeris perfrigeratio, missioque sanguinis, indusiorumque crebra mutatio, frigidaeque potiones prohibere po-

tuerant quin ipsae cutem tandem invaderent, ut notat Sarconius. (Istoria ragionata in Napoli nel 1764. §. 3.) Nec quisquam animo sibi fingat, peticulas, quas primarias diximus absque febre, macularum potius scorbuticarum indolem habere, ita Bursierio adstruente cap. de pet. pag. 10. §. CCCX. *Cum ego quoties eas videre mihi contigit diligentiori instituto examine certissime compererim peticulis fuisse homines iis correptos alioquin sanissimos, atque a scorbuti vel levissima suspicione quam alienissimos.*

§. V.

Ad alteram autem sustentandam sententiam insurgunt Cullenius, Magbridius, Petrus Ioannes Bergius, qui peticulas primarias dari posse prorsus negant, semperque secundarias consideran-

das adfirmant, non tam in epidemicis, quam caeteris morbis, quibus superveni-re illas observarunt.

Ex istis postremus insurgit variis ratiocinationibus, quas doctissimus Bursierius firmis validisque, quoad in rebus medicis fieri potest, argumentis refutat. Nos ergo utriusque partis sententias, ut clarius quid sentiendum sit, elucescat, referemus. Nam haec verba dant: si peticulae essent primariae, eruptione facta minueretur febris: atqui febris non minuitur, quin immo cuncta syntomata augentur fiuntque graviora; ergo syntomaticae sunt; pariterque non omnibus eodem morbo correptis peticulae apparent, immo aliquando, etsi erumpant, et conspicuae in cute aliquando fuerint, absque ullo aegroti detrimento evanescunt. E contra ex observatis constat, nonnullos salutem recuperasse, antequam

periculae disparuerint. Demum periculae catharticis potionibusque refrigerantibus ut plurimum curantur, riteque aegrotantes convalescunt, cum cacochilia putrida e primis exturbetur viis, diathaesis autem potionum ope coerceatur. Quibus auxiliis, si primariae essent, potius materies morbida a cute amoveretur, adeo ut infausta suborta methastasi interna viscera irrueret, aegrumque e medio tolleret.

§. VI.

His omnibus clarissimo Bursierio duce obiici posset; verum esse prodeuntibus periculis febrem non minui, immo tam in syntomaticis, quam primariis syntomata ingravescere, praesertim cum malignae sunt, sed mitescere omnia tam in syntomaticis, quam pri-

mariis videntur, quum coctione peracta id genus eruptiones prodeunt, eoque tempore benignae habentur. Ex medicorum observatis eruere cuicumque est, in primariis peticulis a retenta earum eruptione, aut tardata, aut subito retrocessu innumeros exitiales procreari morbos, nisi aliqua salutaris accedat evacuatio per sudores, urinas vel alvi fluxus, quae quidem esse solent maximi emolumenti et in illis solummodo syntomaticis, quae criseos munere funguntur; contra vero in non criticis, et tarda eruptio, et retrocessus nullum periculum portendere. Dignum profecto, quod admiremur, illud est, quod in convalescentiae ipsissimo statu peticulae quandoque perseverant; sed hoc syntomaticam ipsarum naturam adeo non demonstrat, ut potius criticas, atque benignas ostendat cum et in variolis, morbillisque ple-

risque maxime omnibus maculae in cute permaneant, vel postquam febris totum expleverit curriculum. Demum non semper in primariis peticulis purgantia, ac frigidae potiones obsunt. Nam reperiri quandoque possunt febres vere peticulares primariae, cum putrida viscerum cacholia consociatae, quibus profligandis repetitae purgationes mirum in modum conveniunt, quod sane practicorum experientia ut plurimum comprobatum est; idem de frigidis potionibus dictum volumus, praesertim quum vel nimia caloris evolutio, vel nimius sanguinis fluor, aut ad corruptionem, putredinemve proclivitas has exposcere videantur.

§. VII.

Cum itaque ex superius allatis fa-

cile nobis suasum esse debeat, virus reapse peculiaris naturae existere, quod in humano corpore quocumque modo productum, aut evolutum, ipsi exterius adveniens, postquam circulantium humorum miscelam, ac quamdam subactionis speciem inierit, aliorum exantematicorum morborum more cutim appetat, et sub epidermide sedem ponat ibi sensim disperiturum; idcirco a communi practicorum sententia discedere non possumus, et morbum peticularem absque ulla dubitatione inter primarios recensemus.

§. VIII.

Fateor tamen, me ad hanc usque diem primarias peticulas observare nullo modo potuisse, unde tantorum Virorum auctoritate motus non possum,

quin occasionem illarum videndarum exoptem. Aliter de secundariis res est, quoniam illas non tam criticas, quam syntomaticas pluries mihi vidisse contigit. Sed nisi me mea fallit opinio, ut istae tamquam secundariae existimari possint, neque virus, neque maculae, quas in cute videmus respiciendae, sed omnia ab intrinseca potius humorum dissolutorum natura, febre, ac errore loci desumenda, quamvis non desint, qui tamquam parvas inflammationes, vel gangrenulas id genus stygmata consideraverint. Sed ut a tanta rerum ambiguitate emergamus, illud rationi magis consentaneum videtur, ad mentem Clarissimi Burserii peticulas in benignas, et malignas dividere, quae divisio facilius primariis, secundariisque potest accomodari.

§. IX.

Rebus ita constitutis illico deduci potest, peticulas nostris in febribus ad benignas esse referendas, eo quod criticae nullo non tempore fuerint. Namque in undecimo ut plurimum prodibant cum omnibus quotquot erant syntomatibus remittentibus, colore rubicundo praeditae, non valde confluentes, ac per triduum, in cute manebant quo exacto cursu febris magis magisque mitescens inter vigesimum et vigesimum quartum cessabat, raro ad trigesimum producta. At non reticendum, aegrotantes nono die ingravescere consuevisse accedentibus delirio oculorum rubore, calore corporis universi, pulsuum exilitate, et contractione. Illi autem quibus exanthema miliare imminebat, tendinum subsultibus, maximaque corporis anxietate,

profusoque sudore vexabantur, quod argumento esse debet ut credamus, materiam morbosam viribus vitae non satis subactam fuisse, quae cum circulantibus humoribus adhuc permixta, antequam a massa sejungeretur cutisque emunctoria peteret, in illam criticam perturbationem aegrum induceret experto clinico a recrudescentibus syntomatibus manifestam brevique post eruptionem exantematum disperituram.

§. X.

Ne quid hac de re omittamus, nonnulla de miliaribus sit fas exponere.

A pustulis itaque peculiaris naturae in cute erumpentibus, milii figuram referentibus, primo rubris, dein albis nomen morbus, de quo agitur, consequutus est. Quum cutis ab hisce foedatur,

non immediate aspera fit, sed post triduum, aut quatriduum, primoque aspectu plane similibus maculis conspersa apparet, ac quum peticulis obducitur. Ex quo factum est, ut olim tam peticulae, quam miliaria pro uno, eodemque morbo habita fuerint.

§. XI.

Nec equidem vel de huiusce exanthematis natura inter celeberrimos medicos controversiae desunt. Nam nonnulli exantema miliare morbum contagiosum ex quodam sui generis viru genitum esse putarunt, ideoque pro primario morbo habuere. Alii vero secundarium existimarunt, variisque morbis tamquam syntoma supervenire crediderunt. Nos autem in hoc pertractando problemate, quid illi, quid isti ad suam com-

probandam sententiam produxerint, exponemus, ad illam accessuri quae magis rationi congruere videbitur Ubi de secundariis erit agendum, a clarissimo Bursierio ne hilum quidem recedemus, hasce criticas, et syntomaticas considerando; quae quidem divisio practicis observationibus quammaxime quadrat.

§. XII.

Et ne a suscepto ordine discedamus, uti de peticulis factum est, morbum hunc pireticum, apireticumque ostendemus, ex quo primaria eiusdem natura clarissime patebit, uti Tissotus, Storchius, Mattheus Collinus, Bursierius aliique sentiunt. Sed ut res magis magisque elucescat, cuidam distinctioni primaria haec affectio est subjicienda, quae in causae consideratione tota versetur nempe pe-

culiaris humorum hydiosincrasiae et miasmatis sui generis in aere volitantis quemadmodum videntur laudati auctores existimasse.

§. XIII.

A morbo pyreto ordiamur, cuius existentiam in dubium revocant scripta medicorum, qui circa medium elapsi seculi floruere, licet clarissimus Fantonius, aliique magno doctrinae apparatu contendant, miliaria, alio nomine insignita, medicis graecis, ne excepto quidem Hippocrate, latinisque plerisque maxime omnibus innotuisse.

Exanthemata, de quibus agitur, hidroa Greci vocarunt, Latini autem sudamina, quorum postremi in duas species nempe rubram unam, albidam alteram dividere consueverunt. De rubris certe loquitur Bontius, eas apud Indos esse fre-

quentes, *quae*, uti Burserius scribit, *nulla febri comite asperitatem cutis, et pruritum acerrimum inducunt. Eiusmodi autem malo molestissimo corripi eos affirmat, qui recens in Indiam venerint*. Fantonus ut in eodem Bursierio scriptum extat sic ait. *Fabius Paulinus et alii plures Galeni sectatores hidroa sive pustulas, de quibus hic sermo est, ab exundante sudore fieri putant bilioso et valde mordaci. Fernelius autem ab eiusmodi portione humoris, qui sub epidermide coercitus per cutis spiracula evadere non queat. Miliares vero papulae, et saepe inter sudationem, et interdum in sicco habitu corporis erumpunt. Quamquam enim assiduus mador cutaneus, quasi salsugo ad easdem ciendas idoneus stimulus sit, tamen a solo fervore, et appulsu sanguinis acrioris ad cutem praesertim cum exterior causa quaedam accesserit, facile id genus ex*

anthemata excitantur: quamobrem ubi calida regio, vel aestivum tempus esse solent illa maxime in puerorum, et adolescentium brachiis, pectore, dorso, reliquis etiam partibus efflorescere. Quod non modo in pueris adolescentibusque, sed etiam in adultis obvium esse, nemo ignorat.

§. XIV.

Quamplurimi reperiuntur auctores, qui miliaria exanthemata apireta se vidisse affirmant, ut Petrus Gerikius Ludvigius, et praesertim Juncherus, *qui testatur nonnullos sine febri in hunc morbum incidere ita ut aegri negotiis suis vacare possint, et nil nisi pruritum sub cute persentiant et si meum (ait Bursierius) quoque testimonium addere fas est, non semel mihi quoque contigit observare pustulas miliares, vel in puer-*

peris, tam rubro albas, quam crystallinas febre vacuas. Nec ego ipse experimento careo, meque lectoribus gratum fore puto, si, quae sequitur, addam historiam. Virgo viginti annorum temperamento praedita sanguineo, habitu corporis quadrato, ac potius ad obesum vergente; cum tenero in iuvenem exardesceret amore, et ipsum in sponsum consequi posse pro certo haberet, tandem malo fato res aliter se habuit, cum iussu parentum amico procul vivere coacta fuerit. Hinc anorexia, pallor, vigiliae. Tandem sistuntur menses, et sanguis periodicus per uterina vasa transire solitus in alia utique impetum facit. Narium ergo haemorrhagia vice catameniorum fungebatur. Hoc in statu multos transegit menses, plurimaque a medicis tentamina in subsidium advocata sunt, ut aegrotae conditiones meliores

fierent. Tandem uterinis reseratis vasibus, immodicus adeo fluxus subsequitur, ut non amplius periodicam evacuationem, sed potius continuam ad varios menses experta sit. Sistitur tandem fluxus continuus, ad incertos periodos aegre recurrens, in dies tamen virgo debilior pallidiorque fit, nulla ad cibum excitata unquam orexi. Superveniunt maculae croceae, quae totum corporis ambitum fere conspergunt. Vocatus in tali statu quid non tentatum ut eliminarentur? fugasse tandem satis habui. Sed quid inde? Exanthemata miliaria in scenam prodierunt, et licet varia medicamenta fuerint adhibita ad morbum profligandum, a triennio adhuc perseverat. Eruptionem, quae modo aestivo, modo hyemali tempore exurgit, praecedunt nausea, vomitus, capitis dolor, anxietas magna, spastica aesophagi, ac tracheae constri-

ctio, interne orripilationes, utplurimum absque febre, quae si quando superveniat, in eodem eruptionis tempore solummodo exoritur. Haec exanthemata, quae brachia, femora, et crura occupant, albida semper fuerunt, taliaque permanent. Morem aliorum exanthematum servant; quoniam sensim supra cutem elevantur, milli figuram adamussim referunt, modo exigua, modo grandiuscula, aquam tenuissima copia emittentia quum valide exprimuntur, per contagium haud nocentia per duodecim, vel quindecim manent dies; tandem exarescunt; quo peracto cursu cutis lamellatim sejungitur, et quasi farina conspergitur.

Non infrequenter per vices redeunt, nec potuimus ad hunc usque diem vitiosam hanc humorum naturam corrigere, morbumque radicitus profligare. Aegram alii inviserunt Medici, quorum

nonnulli herpetem, scabiem alii exanthema hoc nominarunt. Exsiccantibus itaque repellentibusque medicamentis, postquam alia interna adhibuerant, exanthemata adorti sunt, quorum opera repulsa eruptione illico spasticae per varias corporis partes musculorum contractiones, vomitus horrifici, capitis dolores, vertigines, aliaque id genus syntomata exorta sunt, quae omnia erumpentibus denuo pustulis evanuere. Illud observatione dignum est, quod in toto aegritudinis tempore silente febre numquam a domesticis rebus vacarit, et corporis exercitationibus, atque choreis vel eruptione vigente se dederit.

§. XV.

Ex hactenus expositis medicorum sententia, quae primariam miliarium na-

turam asserit, in dubium omnino revocari non posse videtur. Ab exposita virginis historia eruere est, morbum ex prava humorum natura derivasse, ideoque cutem ab hoc exanthemate apprime affici, quodque eodem recidit, in sanguine iam morbosam sui generis haerere materiam, quae post initam a circulatorio motu modificationem quamdam definitu difficilem cutim pro peculiari, ut ita dicam, emunctorio appeteret. Qualis autem sit huiusmodi materiei indoles, vel qualis humor morbidus, sub iudice adhuc lis est, quamvis plurimi multa dixerint, variosque humores incusarint. Nam Hoffmanus in lympha corrupta specificam indolem morbi posuit, et quemadmodum duas admisit miliarium species, nempe rubras, et albas, ita duas lymphae qualitates invenit, unam ex acido vapidam paullo fixioris condi-

turae, alteram sulphure infectam, quarum primae albarum, secundae rubrarum originem tribuit. Hamiltonus in acore atque abundantia serosi laticis; Vogelius in peculiari, et spontaneo vitio vix, ac ne vix quidem definiendo; Ioubertus in sanguinis inquinati sero, causam morbi reposuerunt.

At quoniam in rebus incertis cuique suam proferre sententiam jus est, miliarium origo ponenda mihi videtur in morbosa materia sui generis in sanguine utcumque exorta, solidorum robori maxime infensa, ac humori perspirabili adeo affini, ut cum ipso ad cutem feratur, ibique inorganicos eiusdem poros obstruat, pustulisque sic originem praebeat.

Quae cum ita sint, absque dubio statuere licet, morbum primarium a causa interna ortum reapse ducere, i-

psumque tam piretum, quam apiretum esse posse.

§. XVI.

Superest modo, ut a causa externa, nempe a viru sui generis, miliarem morbum primarium inductum consideremus. De huius morbi existentia scriptores nostri aevi perlegentibus dubium esse potest nullum, cum penes hosce invenire sit, miliares morbos pluries in variis urbibus, atque regionibus populariter grassatos esse, nec robustissimis hominibus, de exercitatione firmatis, sanissimisque pepercisse, sed omnigenam constitutionem, temperiem, aetatem, contagione infecisse. Nec in hanc sententiam adducere juvat, pustulas miliares medicamentis besoardicis, sudoriferis, spirituosis ortum suum ducere. Nam quamplurimi

celeberrimi in arte viri scriptis demandarunt, miliaria exanthemata perfrequenter erupisse, etiamsi refrigerantia, antiphlogistica, purgantia medicamenta repetita, atque sanguinis missiones adhibitae fuerint.

Quarinus, ut alios taceam, sic ait: *anno 1768 omnes febre acuta decumbentes haec exanthemata habuerunt, licet primis viis purgatis, nec stragulis onerati, aut medicamentis calidis vexati aegri fuissent.*

§. XVII.

Haec omnia Allioni, Tissoti, Storki, Quarini, Bursieri, Swietenii sententiam comprobant, qui morbum epidemicum quandoque a miasmate in aere latitante oriri putant, febremque ab ipso excitari, non secus ac illa, quae in variolis

populariter prodeuntibus excitatur. At si haec observatione comprobare velimus, illud omne animadvertere satis superque erit, quod miliaris morbus ex practicorum testimonio epidemice illis praesertim locis saevire consuevit quibus, et aquae stagnantes, coenosumque solum, vel exalationes multiplices pravis elementis praeditae reperiuntur, unde ex hisce emanationibus miasma hoc omni jure derivare crediderint. Nam Bursierius. *Certe triginta ab hinc annis Mantuae, ubi ab aliquo iam tempore miliaria exanthemata sparsim discurrere coeperant, ut tempestate aestiva epidemica fierent, et integras familias unam post aliam corriperent, ut omnes fere aegrotantes neci darent. Tanta erat morbi vis, et pernicies prope lethifera. Nulla alia manifestior causa insolitae, et terribilis illius stragis exiit, quam fossarum, quibus urbs*

munitur, recens expurgatio, et coenosi putridi sedimenti penes moenia ad aggeres complendos transportatio; hinc enim calore solis elevata venefica effluvia aerem cum tota civitate infecerunt. Hanc aucti diffusique praeter consuetudinem miliaris veneni originem vere fuisse, ex eo deinde constitit, quod elapsis duobus, vel tribus annis, et paullatim vitatis eiusmodi causis ita morbi vis et frequentia imminuta est, ut hodie miliaria sporadice tantum, et plerumque benignae indolis in illa eadem urbe conspiciantur.

§. XVIII.

Delibatis illis quae ad primariam miliarium naturam pertinent, pauca de secundariis miliariis restant consideranda.

Si peculiaris viribus vitae infensa materies in sanguine nulla praecedente

febre procreari potest; cur in morbis vigentibus eadem ratione ipsa generari non poterit? Hinc est ut in morbis plerisque, maxime omnibus nervosis biliosis, putridisque in quibus vitales vires fractae sunt, miliarium eruptio pro certo signo habenda sit, aliquid in sanguine esse immutatum, ex quo nova composita exorta sint. Ubi haec eruptio non sufficiat ad sanguinis labem excernendam, non criticum, sed syntomaticum absque levamine exanthema est, et quamvis intro feratur, nullum aegrotanti afferet detrimentum. Sed ubi novum hoc compositum tantum sit, ut huius ope statim ac cuti apparet, morbus primarius paullatim discedat, tunc omni jure criticum exanthema reputandum; et ab eius introcessione lethale exitium immineret. Exemplo sint nostrae febres, quibus miliare exanthema vere criticum

fuit. In decimo, aut undecimo prodibat, cum syntomatum imminutione, paullatim febres recedebant, et pustulae per quinque, vel sex dies in cute manentes tandem exarescebant, morbusque in dies ad salutem properabat. Objici mihi posset, quid credendum, tum quum, et miliaria, et peticulae conjunctim prodeunt. Sed facilis responsio: quoniam miliarium materies in sanguine ad solutionem potius vergente sua trahit incunabula. Sic non mirum, si simul erumpant, cum eamdem fere naturam possideant, sed nervosi systematis magis inimicam. Haec erant quae de peticularium, miliariumque primaria, aut syntomatica natura dicenda videbantur.

Pauca utique de morbosa sanguinis natura proferri possunt, cum solummodo eiusdem visibiles qualitates referre statuerimus, idcircoque chemicis experimentis, igne vel acidis mineralibus, vegetabilibusque, vel alkali nequaquam illum tentare curavimus, cum difficillime ex hisce utiles in morbis curandis conjecturas elici posse in comperto haberemus.

Breviter ergo aegrotantium uniuscuiusque ordinis sanguinis conditiones per phlebotomiam ab insigni vena, vel per cucurbitulas extracti in medium afferemus.

Primorum itaque sanguis statim e vena missus rubicundissimus inventus est, qui color etiam post duos, vel tres dies absque ulla sensibili alteratione observabatur.

Eiusdem superficies omnino carentem glutinosa crusta se nobis offerebat.

In validis temperamentis post debitum tempus pluries sanguinis crassamentum actioni cultri paullulum renitens, in reliquis vero facillimum caesu invenimus.

Pars serosa quae crassamentum circumdabat, non in omnibus eumdem servabat colorem, ac quantitatem, sed in aliquibus abundantiorem, in aliis paucam, nunc viridescentem, nunc fere croceam intuiti sumus.

Aegrotantium vero secundi, ac tertii ordinis dissolutior erat sanguis, cum e cucurbitulis fere semper illum eduxerimus, aliquando vero in nonnullis rubicundo fusco colore donatum invenimus, suaque in concreta superficie aliquando etiam maculas iridis ad instar gerentem, in aliis vero similimum primo descripto adamussim inspeximus.

Magnum certe, ac maxima dignum ponderatione in curandis morbis phlebotomiae auxilium considerandum, cum ex hoc, vel praesentaneum levamen, vel futurum irreparabile malum incautus medicus suo aegrotanti possit afferre. Nec ego is sum, qui aut hoc abutar, aut neque tam suspensa manu illud imperem; sed pro conditionum ratione sic me gero, ut neque profusioni, neque parcitati obsecundem. Attamen, si vera loquar, dummodo morbus vel ab inflammatione, vel plethora non oriatur, lethique periculum minime immineat, sanguinem quasi unicum vitae thesaurum considero ita, ut omni studio, atque industria potius servandum, quam inutiliter effundendum semper curaverim, quod aegrotantium saluti, meisque fi-

nibus quammaxime satisfecit. Sic Mercurialis de rat. victus in morbis acutis scriptum reliquit. *Dicendum est negotium mittendi sanguinis tanti momenti esse, ut si recte administretur, protinus salubritatem, si error quispiam committatur, exitium, aut detrimentum maximum afferat.*

Cum enim perfecta salus, in quodam perfecto aequilibrio inter solidorum vim, atque fluidorum qualitatem, ac quantitatem consistere videatur, si ex hisce una a perfecto naturae statu amoveatur, altera alteram sequatur oportet. Medicus itaque, ut egregie suo defungatur munere, turbatum hoc aequilibrium ad pristinum, quoad fieri potest, statum debet revocare. In hoc certe maxima ex parte medendi doctrina versatur. Solidorum vires quibuscumque in morbis maxime sunt a medico consi-

derandae, adeo ut nisi ipse in variis morborum temporibus, pro aegrotantis temperamento, anteacto vitae genere, animi patemate, regionis situ, specieque aegritudinis ad trutinam illas perfecte revocare aptus sit, certam perniciem in omnibus suis operibus hominibus afferet. Cum itaque per sanguinis missionem solidorum vires infringantur, humorumque quantitas imminuatur, non immerito phlebotomia tamquam omni circumspectione dignum medicinae praesidium considerandum.

Exceptis itaque inflammationibus, in quibus solidorum robur auctum reperitur, et plethorico corporis statu, in quo vires non fractae sed potius oppressae cognoscuntur, caeteris in morbis phlebotomia caute imperanda; quamvis in ipsis etiam inflammationibus haec maxima medici cautione secundum recensi-

tas causas indigeat. Quoniam in quocumque inflammatorio humorum statu, ita concitatus eorumdem motus temperandus, ut morbidae materiei coctio secundum naturae ordinem peragatur; et medicus uno oculo morbi vigori, altero attente solidorum viribus prospiciat, tuncque coctione peracta materia morbosa facilius per aliquod corporis emunctorium exitum inveniet. Si autem de alicuius partis peculiari agatur inflammatione, phlebotomiae ope obstructa ab impacto inflammatorio humore extrema arteriarum vascula reserantur, spasmodica eorumdem constrictio relaxatur, facilior reddetur sanguinis per venas reditus, circulatoriusque motus per adiacentia inflammationis loca rectius perficietur. Quae omnia tamen nullam afferent utilitatem, nisi vasorum vires in quodam perfecto aequilibrio serventur.

Si ergo etiam in morbis, ubi vires energicae sunt, ab intempestiva, vel profusa, vel parva sanguinis missione naturae conatus ad salutem recuperandam pervertantur, quid fiet in morbis, in quibus virium fractio reperitur?

In hisce utique maxima practici doctrina, atque experientia exposcitur.

Virium fractio inter multiplices, a quibus pendet, causas a quibusdam etiam venenosis particulis per aerem volitantibus ut in praefatione diximus, et a bilioso humore utcumque degenerante pendere videtur, quae duae causae ad morbos contagiosos procreandos inter caeteras fere principes possunt recenseri, quaeque pariter enervante quadam vi corpus ut plurimum afficiunt, et humores ad dissolutionem facillime disponunt.

Verum tamen est, utrasque istas

causas diversimode pro temperamentorum ratione corpus afficere. Sed cum nervorum systema ab iisdem speciatim peculiari quodam modo labefactetur, ideo de virium potius defectu, quam de earumdem excessu timendum est, quamvis prima fronte vires ipsae aliquando quammaxime erectae videantur. At si quando hoc verum sit, parvula sanguinis missione concitati a stimulo humores facillime lenientur; licet Scardona Capho: de cogn. et curan. morb. pag. 85. sic scriptum reliquerit. *Venae sectio cursum sanguinis in febre biliosa augendo aestum, fervoremque sanguinis auget, aut confirmat*. Attamen si temperamentum validum, plethoricum, et alicuius visceris inflammati adsit suspicio, tunc semper phlebotomia imperanda; quoniam ex Iuncheri sententia con. med. theor. prac. pag. 515., *Secta vena in*

morbis biliosis extra vehementem plethoram et longam assuetudinem, raptum humorum ad caput inducit cum deliriis, et faucium inflammatione.

Biliosus humor, cum saponaceam indolem praeseferat, sic ex quacumque causa in circulum refluens, sanguinem ad dissolutionem uti diximus disponit, nervorumque systema languidum reddit: quod utique facile persuasum esse potest phoenomena consideranti quae Ictericum comitantur. In hisce utique corporis lassitudines, animi torpor, pulsuumque debilitas reperiuntur, licet iidem febre vacent. Si itaque vel a defectu perspirationis, vel a venenosis effluviis, vel aliqua peculiari causa bilis a sua intima natura pervertatur, alveumque circulationis parva quamvis quantitate percurrat, varias morbosas affectiones non tam vasculoso, quam nervoso systemati

inferet, quae erunt variae pro vario aegrotantium temperamento, peculiarique humorum et corporis statu. Cum itaque bilis degenerans facillime in putredinosum statum vergat, non potest sanguini immisceri quin suam crasin pervertat, nutritionemque corporis omnino perturbet. Hisce rite animadversis quis sine timore, ac trepidatione expertus clinicus phlebotomiam imperet in febri vel pravis stipata syntomatibus?

Illud profecto fieri potest, ut etiam putridis in morbis, vel ab humorum quantitate, vel a maximo calore, atque humorum stimulo, vires oppressae hebescant, ideoque phlebotoma utilis immo et necessaria sit existimanda. At si tamen meo iudicio quid fidendum (experientia namque solummodo edoctus loquor) caute hisce etiam in casibus hoc utendum praesidio. Quamvis Lom-

mius sic dicat *oppressas nimirum intelligo eas vires, quae propter affluentium humorum complurium calore, atque putredine nimis effervescentium, vel periculoso impetu partem aliquam impetentium momentaneam, veluti ab onere gravatae, speciem imbecillitatis falsam praebent, in eo autem rei statu, nisi detractione vires mature subleventur in multo versantur periculo.*

Ex dictis itaque cum clarissime constet phlebotomiam in putridis, biliosisque morbis maxima cum cautione esse imperandam, attamen non inficiamur, aliquando ipsam, uti diximus, esse necessariam, licet reluctante Baglivio hisce verbis.

Inviolabile praeceptum ab Hippocrate semper observatum video, ut bile notabiliter dominante vena nullomodo secetur sive in febre, sive in aliis morbis. Lib. 1. Cap. 9. app. ad pleurit..

Sed mihi denuo liceat repetere, si temperamentum sit validum, et plethoricus corporis habitus, vel si aliquod viscus inflammationi sit proximum, sanguis procul dubio mittendus. Cognoscere autem quam maxime iuvat, immo in hoc praecipue summa rerum versatur, nempe quo in tempore, quo ex loco quam ad mensuram sanguis mitti debeat. Nam non semper primis morbi diebus sanguinem quocumque in morbo mittere fas est, speciatim si de aliquo epidemice grassante morbo agatur, donec saltem de eiusdem indole adamussim constiterit.

Exemplo sint nostrae febres, in quibus quamvis primo intuitu aliquibus in casibus phlebotomia utilis, atque necessaria primo, secundo, aut tertio morbi die videretur, damnosam tamen experientia demonstravit. Si enim in men-

tem exposita revocemus, videbimus, febribus secundi, ac tertii ordinis correptos de corporis debilitate, oris amaritie, nausea, ac de vomitus propensione conqueri, quamvis illis oculi scintillassent, rubicundus esset vultus, pulsusque non imbecilles extitissent. Si ergo primis morbi diebus venam etiam suspensa manu secuissemus, adeo in peius aegrotantes ruebant, ut vitam quasi cum morte commutare viderentur. Nam post parvam sanguinis evacuationem pulsus debiliores, frequentioresque evaserant, spiratio magis contrahebatur, immodici alvi fluxus, syntomaticique oriebantur sudores, et in maximam virium prostrationem aegri incidebant. Non me latet artis magistros acutis quibuscumque in morbis praesertim cum alicuius visceris portenditur inflammatio, a sanguinis missione curationem incoepisse, sive vires au-

ctae, sive oppressae viderentur. At nostris in febribus vires neque auctae, neque ab humorum quantitate oppressae naturam nobis recte consulentibus offerebantur. Nonnullis fortasse nos a veritate aberrantes videri potuimus ad aegrotantium syntomata, praesertim illa, quae capitis cavitatem spectant respicientibus, quod prima fronte sanguinis evacuationem exposcunt. Sed hoc opus, hic labor est. Neminem practicorum fugit, quantum difficile sit in primis morbis diebus, plerisque in casibus intimos naturae conatus cognoscere. Attamen cum corporis vires nostris in febribus essent fractae, et a linguae exploratione (namque versicolore oblita visco sordebat) et propensione ad vomitum ad credendum induceremur, naturam a biliosis, putridisque primis in viis stabulantibus humoribus sublevandam esse; quis non videt,

vultus ruborem, pulsus validitatem, ad vomitus propensiones, primaria ut ita dicam fuisse naturae molimina, quae medicum docerent, ad evacuationes, per superiora, et inferiora esse confugiendum. Et revera emeticis, vel purgantibus adhibitis omnia melius se habere pluries experti sumus. Per phlebotomiam itaque cum haec ceu fraenum, quo auriga spumantes coercet equos, possit considerari, medicus solidorum vires datis temporibus, data sanguinis effusione secundum morbi indolem solummodo coercere, minime vero infirmare debet. Quare cum nostris in febribus nono ut plurimum die a concitatiore humorum motu cerebrum afficeretur, licet pulsus validitatis speciem praeseferrent, attamen cucurbitulis solummodo ad scapulas incisis quibus sanguis ad quatuor, vel quinque uncias educeretur, feliciter mor-

bi ferocitas profligata est. Areteus de curat. acut. l. 1. part. Cap 4. 83. ita sancivit. *Cum morbus diu trahitur, et caput in causa est, cucurbitula occipitio affigenda, et sanguis hauriendus. Minus enim quam sectio proficit, et vires nequaquam labefactat. Sed prius inter scapulas inanem cucurbitulam admoveas*. Experientia ergo confirmatum est, quod nisi ut Tissotus autumat, cum putridis, aut biliosis morbis phlogistica coniungatur diathesis, quibus in casibus phlebotomia vel repetita, si opus sit, nempe si vires exposcant, utilis inventa est, maxima semper cum cautela illa sit utendum. Verum enim vero si morbi conditiones ad illam adhibendam nos impellant, illis solummodo temporibus, quibus morbi ferocia insaevit, est celebranda, et a minoribus potius (habita semper virium ratione) quam grandio-

ribus vasibus instituenda, quoniam hoc pacto vires facilius servantur, et Swietenii praecepto fit satis *nil magis ad firmiorem curationem conducere, si firmae fuerint aegri vires. Illas ergo omni ope servandas esse. Wansw. aphor.* 598. cap. 2. p. 96.

Ex hactenus dictis tandem eruitur, verum esse medicum, qui quibuscumque in morbis iuxta naturae vires in sanguinis missione imperanda se regit, neque tam facile a quibusdam malitiosis morbi syntomatibus praeoccupatur.

DE EMETICIS ET PURGANTIBUS.

Stomachus, et intestina, communia alimentorum receptacula, quorum primus digestioni, altera chilo conficiendo, atque absorbendo, chimoque tandem expellendo a natura fuerunt dicata, com-

munes etiam esse morborum scatebrae pro variis eorum conditionibus, vel chilpoceticorum turbatis functionibus, quotidiana suadente experientia considerantur. Inter humores qui in duodenum, et ventriculum datis temporibus se inferunt, bilem principem obtinere locum, ex physiologicis notum est. Tum quum enim ista, vel deficit, vel exuberat, aut vitiatur, aut in eodem secretorio organo male elaborata retinetur, multiplices exoriuntur infirmitates, quarum natura interdum magni nominis practicorum illusit industriam. At febres ut plurimum ex eadem ipsa causa tam atroces in scenam prodierunt, ut ad epidemicas a quam plurimis medicinae proceribus referri debuerint, peculiaribusque curationibus tractari ut fugarentur, quemadmodum inter celeberrimos recentiores penes praeclarissimum Tissotum fides erit. Exce-

ptis itaque illis casibus in quibus ut in praecedenti capite vidimus sanguinis missio est necessaria; omnis curationis cardo, vel in corrigendo peccante bilioso humore, vel in eodem superius, vel inferius e corpore expellendo versatur. Verum antequam expositis indicationibus obsequatur Clinicus in arte peritus vitiosae bilis caracterem, morbosam originem, eiusdemque sedem adamussim cognoscat, oportet.

Nam si ea est bilis indoles, ut statim ac in ventriculum confluxerit, ponderis sensationem turgiditatemque in eodem producat cum assidua nausea, vomendi cupiditate, totiusque corporis anxietate, absque tamen vehemente febre, intestinorumque doloribus, si neque maxima acritate eadem praedita sit, neque in summam vergat alcalescentiam; si tandem facillime ipsam e ventriculo ex-

pelli, evacuarique posse cognoscamus; prudentis erit medici ad emeticum confugere, ex Hyppocratis sententia. *Magnis morbis magna remedia, incipientibus morbis, si quid movendum move, vigentibus autem quiescere melius est. Quo natura vergit, eo ducere oportet.*

Nisi enim vigentibus hisce conditionibus infensa biliosa materies per breviorem viam eliminetur, quid expectandum ab ipsius mora in ventriculi, duodenique cavitate? Acrior sane in dies reddita, cum tam facillime etiam sponte degeneret, humorumque circulum percurrens irreparabilia fere damna primoribus visceribus afferet. Fieri quoque potest, ut recensita morbosa syntomata aliquibus in casibus eadem reapse reperiantur; et nihilo tamen secius cane peius et angue emetica vitanda sint, idque obtinebit, cum clinico morborum sedes probe in-

vestiganti patuerit biliosam materiam in jecure potius glomeratam, crudamque manere, nec quantitate vel minima in duodenum per cholidocum delabi, finitimumque ventriculum propelli: quod minime certe latere potest, si dextro explorato hypocondrio illud spasmodice turgidulum cum obtuso dolore inveniatur. Quibus in casibus, saponaceis, diluentibusque solummodo medicamentis ita res est comparanda, ut bilis viscidior, acriorque si quae sit, ex duodeno in ventriculum influens per emetica, vel purgantia mitissima, vel etiam sponte per vomitum, aut catharsin facillime extrudatur.

Celeberrimi Tissotus, atque Swietenius Hippocraticam secuti doctrinam oximeliticis tantummodo usi medicamentis, morbidam biliosam materiam, fluidiorem, mobilioremque redditam non ra-

ro, spontaneo oborto vomitu reijci magna copia viderunt. Nostrae febres asserti veritatem comprobant. In jecure enim ex vasculorum reactionis defectu, inertem bilem acrioremque evasisse certum est. Salibus itaque neutris vegetabilibus aqua dilutis ac melle ut plurimum edulcoratis, aut maxima seri lactis quantitate cum manna conjuncti solida vellicabantur, bilisque mobilior fiebat; unde in morbi incunabulis (quod admiratione dignum) parvam quantitatem biliosae materiae aegrotantes reijciebant: at in morbi vigore fere putrida bilis vel sponte, vel iisdem potionibus, enematibusque, per sedem utplurimum, aut per vomitum educebatur; neque nausea in nonnullis nostrorum aegrotantium, ventriculi dolores; vomendique nisus deerant; at veh illis, si nos istis solummodo syntomatibus confisi emendationes arte parare

neglexissemus, certe brevi conclamatum fuisset.

Celeberrimus Tissotus hac de re non dubitavit asserere, quod si bilis acris, ac fere caustica in visceribus a ventriculo valde dissitis consistere videatur, ad emetica vel purgantia confugere experimentum valde periculosum esset considerandum, quoniam stimulus quilibet quantumvis minimus bilem reddens actuosiorem, ita intestina potest laedere, ut vel colici dolores excitentur, vel in circulum subtilioribus bilis particulis propulsis, in magnum discrimen viscera nobiliora inducantur.

Iuvat adhuc ad mentem revocare, inter multiplices bilis effectus deliria, motusque convulsivos in syntomatum praesertim explicatione nos recensuisse; hi non solum sympatice, sed etiam idiopatice ab eiusdem causticitate nostris in febribus produci potuerunt.

Si enim fiat, ut delirium motusque convulsivi ab acerrimis biliosis, subtilioribusque particulis in sanguinis circulum pervadentibus oriantur, quamvis omnia adsint indicia de bile in ventriculo latitante, ille a recto tramite longe abiret qui, rebus ita comparatis, emeticis uteretur.

Ut enim medicus perfectam rei cognitionem assequatur, pulsuum caracterem, motusque corporis convulsivos, qui in idiopatico delirio producuntur diligenti indagine expendere debet, ut veram syntomatum differentiam, quae sympaticum delirium ab idiopatico distingunt feliciter possit eruere.

In idiopatico itaque delirio pulsus duriusculi, at non valde resistentes inveniuntur, atque oculi, quamvis scintillantes, convulsiva mobilitate praediti observantur, in carpis vero tendinum sub-

sultus, quae omnia cerebri meninges inflammatione periclitari quammaxime declarant.

Quale ergo auxilium hisce in casibus ab emeticis expectandum? Cum emetica dum ventriculum pravis sarcinatum materiis exonerant, circulum sanguinis incitent, ipsumque in cerebrum maiori quantitate impellant ad phlogosim iam dispositum?

Solitis itaque diluentibus mellitisque medicamentis atque clysteribus aestuosa compescatur bilis acredo et quo tempore natura ad materiae eliminationem se comparat, citrea potione cremore tartari imbuta, vel alia quacumque eccoproptica facultate praedita opportune ad excretionem per sedem bilis praeparetur.

Non incongruum erit repetere, vigentibus hisce conditionihus phlebotho-

miam, secundum recensitas in antecedenti capite regulas, maximum emolumentum afferre posse, quod pluries nostris in febribus experimento comperuimus. Nec desunt peculiaria syntomatici delirii signa ab iisdem fontibus haurienda. Namque vel a causa ventriculum afficiente, atque ad cerebrum usque suas impressiones promovente, spasmodici delirii genus quandoque producitur, quemadmodum ipse Galenus nobis his verbis scriptum reliquit. *Os ventriculi quum vitalem facultatem ad sympathiam ducat, syncopes infert: quum vero animalem proprie appellatam deliria vel convulsiones consentiente principio quod in cerebro et nervis est.*

In sympatico autem delirio, pulsus celeres, at molles aliquantisper in pulsationum ordine inaequales observantur, oculi scintillant, absque tamen convul-

siva palpebrarum mobilitate, tendinum deest subsultus, et eorum loco syntomatici potius sudores aegrotantibus speciatim e capite, ac pectore manant; linguam habent sordidam, semperque oris amaritiem experiuntur. Rebus ita se habentibus, quis non videt, quantum utilitatis ab emeticis expectare possimus; cum non solum materiam per breviorem evacuent viam; sed etiam mediante, licet delirium, aliosque convulsivos motus compescant, immo aliquando omnino tollant? quod sane idem emolumentum purgantia praesertim ex eccoprocticorum regno deprompta possunt afferet, si ab intestinorum borborigmis, levibusque eorumdem inflationibus innotescat in iisdem etiam materiam nidulari. Nam docuit Swietenius. *Dum a bile accensa, et corrupta circa praecordia haerente in febribus delirium na-*

scetur, ut saepius obsesvatur, frustra sanguinis missio etiam repetita adhibetur, sed leni emetico excussa hac saburra, vel purgante per alvum perturbata, tollitur hoc syntoma, simulque levatur febris. Nec minori cum cautione in iisdem adhibendis auxiliis procedendum, si morbus, ut pluries nostris in febribus vidimus, falsum peripneumoniae, vel pleuritidis aspectum praeseferat. Quoniam et tussim, et obtusum pectoris dolorem consistendique in alterutrum latus impotentiam cum aliqua spirandi difficultate aegrotantes experiuntur. Sed ut verus morbi character cognoscatur, alia concomitantia syntomata, et praesertim quae a pulsuum conditionibus eruuntur, ad trutinam sunt revocanda. In nostris itaque aegrotantibus in quibus morbi pectoris suspicio ex praefatis syntomatibus aderat, pulsus absque illo fere inexplicabi-

li digitos feriendi modo inflammatoriis morbis thoracem respicientibus familiari reperti sunt, nempe absque illa peculiari arteriae extrocessione, quae ex violenta cordis contractione sanguineam undam contra arterias impellentis oritur, quaeque semper indicium fere tutum est, pulmonalem circulationem in aliqua praesertim pulmonum parte extra naturae ordinem fieri. Obtusus vero pectoris dolor in alterutrum latus, levisque spirandi difficultas fere semper hisce vigentibus conditionibus cum iuguli atque hypocondrii dexteri dolore, totiusque corporis languore, diaphragmatis affectione conjungitur, quae primaria syntomata ob jecuris, ac diaphragmatis nervorum sympathiam secundaria, ut ita dicam signa excitant ex quibus pectoris affectio simulatur.

Caute ergo, et maxima cum cir-

cumspectione phlebotomia, emetica, atque purgantia adhibeantur, sed uti nuper diximus solitis auxiliis, vitae inimica preparetur materies, quo facilius absque magna circulationis agitatione, viriumque jactura eadem eliminetur, uti pluries hoc pacto cum magno nostrorum aegrotantium emolumento non tantum in hisce epidemicis curandis febribus, quam aliis in casibus experimento sumus assequuti.

DE VESICANTIBUS.

Cum nos de vesicantium actione disserere proposuerimus, ac utilitates egregiosque effectus in nostris curandis febribus ab his patratos exponere decreverimus, non incongruum fore putamus, si aliquid circa cantharidum compositionem ex chemicis Thouvenelii tentamini-

bus praesertim erutum paucis exponamus, ne mirabiles earumdem medicas facultates considerantibus intimae etiam ipsarum naturae notitia desit.

Viride per aerem volitat animalculum, variis in Iridis modum refulgens coloribus, in diversis Europae partibus habitans, fraxinorum populorumque amicum, perque prata vagans, rosis praeceteris floribus insistens, foetido redolens odore.

Quis rerum naturalium doctrinae expers animalculum hoc muscae figuram referens tam mirabile ac idoneum ad languentem ex morbis humanitatem sublevandam crederet? Oh infinita in universa rerum natura Divina potestas, quae in ipsis animantibus homini subditis procreandis peculiares peculiari industria detegendas virtutes reposuerit quarum ope nonnulli inter innumeros, quibus ipsi

cruciamur, morbi profligari feliciter potuissent.

Constant itaque ex chemica praefati auctoris analisi cantharides his, quae sequuntur principiis.

Primo. Peculiari parenchimate, nondum a Chemicis determinatae naturae, quod insectorum arefactorum ponderis medietatem aequat.

Secundo. Tribus per unamquamque unciam materiae extractivae dracmis, colore croceo, amarissimoque sapore praeditae, quale extractum distillatione vexatum peculiare acidum praebet.

Tertio. Duodecim per unciam granis materiae ceraceae crocei coloris.

Quarto. Sexaginta granis viridis, olleaginosae substantiae, a cera non absimilis, acrique sapore donatae, ex qua tamen ille cantharidum penetrans effluit odor; si haec quoque substantia distil-

lationi committitur, acidum penetrans, oleumque concretum suppeditat.

Aqua itaque non solum extractum, croceumque oleum perfecte solvit; sed etiam viride, quamvis hoc minori quantitate; sic aether praeter postremum caetera minime solvit.

Tandem cantharidum virtus in hac ceracea materia, aut oleo viridi a recentioribus chemicis consistere solummodo credita est.

Breviter hisce perpensis ad mirabilem illam cantharidum in inflammandis exulcerandisque corporis partibus facultatem devenimus, eam nimirum, qua ad instar venenatae substantiae in sensitivas animantium partes suam exerunt potentiam.

Cum enim ex expositis in oleo viridi, vel materia ceracea causticitas delitescere videatur, pariterque ex eadem

aliquid eiusdem naturae avolare; ita effectus illius innuente experientia, non solum in extima corporis cortice, sed etiam in penetralibus eiusdem produci certum est. Exempla rei veritatem ostendunt: et re quidem vera si practicorum scripta perlustremus, (quod et nostris observationibus, quamvis perraro confirmavimus) illud reperire erit, ardores urinae, ac vesicae dolores quandoque et febrim concitasse (V. Ildanum, cent. VI. obser. 98. 99.): pariterque mictum cruentum cum vesicae exulceratione ex admoto exterioribus partibus vesicatorio confirmant Timaeus, Zacutus Lusitanus, Paschalius, Brasavola, ut celeberrimus Hoffmannus.

Ex hisce itaque cantharidum avolantibus particulis sanguinis circulum subeuntibus nerveas concitari fibras, et ex earum vividiori actione languentem irritabilitatem, ut ita dicam, reviviscere,

multorum opinio est, proindeque non tam nervei, quam sanguinei fluidi motus omnesque corporis secretiones augeri.

Si autem mutationem, quam cantharides in partibus afferunt, et serosum concursum, quem in easdem revocant considerare velimus; ad Clarissimi Hoffmanni explicationem confugere necessum erit.

Subiectum (*sic ille*) *enim huius operationis non est illud tenue, sensus expers, et ex multis squammulis emergentibus inter interstitia porulis conflatum corporis integumentum, sed substrata huic proxime suprema, et corticalis quasi cutis ex tenuissimis papillulis nerveis et fibris tendinosis, nec non innumeris vasculis, quae fines sunt arteriolarum et partim humorem nutriticium, partim salinum excrementitium, qui vel sub vaporis forma in perspiratione insensibili modo exhalat, vel*

sudoris forma spectabilius stillat, velut conflata substantia. Ad hanc dum tenuissimae salino acres causticae cantharidum moleculae penetrant, ob vias nerveas fibrillas vellicant, tubulos humore plenos stringunt partim, ut advectum liquorem largius effundant, partim tenuissima eorumdem oscula corrodunt, et exulcerant, ut non secus ac post ambustionem divulsis ac dissolutis iisdem, humor copiose exstillet, qui quum ob copiam et crassitiem exiles cuticulae porulos permeare queat, abscedente hac subtus colligitur et collectus eandem in vesicam elevat.

Cum enim duplici ex fonte modus actionis cantharidum possit ex allatis derivari, nempe habito respectu ad circulationem, atque locum, cui applicantur, superest ut videamus, quibus in casibus, quibusque morbi temporibus istis uti conveniat, tandemque, num cantharidum e-

molumenta solummodo ex parte serosae effusionis, an potius ex spasmodica eiusdem partis affectione sint consideranda.

Non dubitandum, quin nerveis fibrillis a stimulo cantharidum percitis circulatorius humorum motus augeatur, fibraeque irritabilis torpor ex languore, ut saepissime accidit in morbis, excitetur. Si res ita se habeat, nemo non videt quantum utilitatis vesicantia afferre debeant in morbis a languore, et virium imbecillitate ortis, in quibus, pariter stimulo, et incitamento opus est, quod facilius in corporibus temperamenti, et naturae segnioris, phlegmaticae, et melancolicae constitutionis erit videre, pariterque illis in affectibus, in quibus ab aliquo peculiari veneficae debilitantis indolis principio in corpore excitato, vel exterius assumpto solidorum, praesertim nervosi systematis, fractio exoritur, ut an-

xiosi, stupidi, ac pene immobiles in lecto aegrotantes maneant, cum pulsibus celeribus, parvis, aliquantisper etiam inaequalibus.

Haud praetereundum tamen est, quod non tantum in morbis descriptae originis vesicantia praescribuntur, sed in illis etiam, qui a valida systematis vasculorum reactione initium sumpsere.

Exemplo sint peculiares viscerum inflammationes, in quibus quamvis repetitis sanguinis missionibus uti oporteat, attamen tum quum spasticus · inflammatorius vasorum status phlebothomiae ope devictus est, et impacta in vasorum extremitatibus materies a languida solidorum actione adhuc remanet, novo incitamento opus est, ut haec materies vel subtilior per repetitas vasorum contractiones reddatur, ac ad resolutionem disponatur, vel alio quocumque

modo ex eodem viscere, coctione peracta, eliminetur. Hisce in casibus vesicantium actio utilis certe cognoscitur, et ratione stimuli, et ratione residis limphae in parte, cui apponuntur. Primum quod spectat, partium irritabilitas excitatur, alterum per vasorum linphaticorum systema ex cellulari partis affectae membrana nonnihil serosi laticis ad corporis extimam superficiem revocatur, cuius ope circulatorius partis affectae motus expeditior maximo cum emolumento redditur, vasorumque eiusdem spastica constrictio facilius relaxatur. Hinc est, ut recentiores Practici hisce fundamentis innixi vesicatoria propius parti affectae applicuerint, immo ipsissimae parti dolenti maximo cum morbi levamine. Cavendum tamen est, ne vesicantia illo praesertim applicentur tempore, quo vascularis reactio energica cognoscitur, quum idem esset ac equo aspero calcar addere.

Non semper expertus clinicus eodem ratiocinio in innumeris, variisque morborum conditionibus utitur, dum caussas, et remedii vires ad examen pro re nata revocare cogitur.

Nam vesicantium stimulus spasmodica tantum, quam inducit in cutem, actione utilis aliquando esse potest, ideoque videmus in convulsivis praesertim aliquibus affectionibus solam partis rubedinem ad optatum medici finem exequendum sufficere, uti ex Tissoti sententia, qui in dissertatione de febribus biliosis pag. 91. scriptum reliquit. *Cum lex sit humanae machinae indita, morbum ex consensu nervoso minui contraria irritatione, suadebat ratio inferiores irritare partes.*

Perpensis ergo vesicantium effectibus non dubitandum, quin magna cum circumspectione in exercenda praxi illa

adhibenda sint, adstruente Baglivio Prax. pag. 102. *delirantibus cum febre acuta, lingua arida, et indiciis magnae viscerum inflammationis, si applicentur vesicantia, omnia in peius ruunt, et magna ex parte moriuntur convulsi*.

At quamvis tanti nominis Viro non obsequi nefas videatur, si morbus, utcumque inflammatoriis, vel dirissimis stipatus syntomatibus, postquam rite, debitisque sanguinis missionibus tractatus fuerit, urgente tamen solidorum statu, pulsuumque conditionibus, novo ut profligetur indigeat incitamento, spretis tot priscorum formidinibus ad vesicantia strenue confugiamus; aliter sentiat vel Prosper Alpinus Med. meth. lib. V. pag. 173 ubi scriptum reliquit, *numquam probare potui in acutis febribus vesicantium usum, quod calorem febrilem augeant, vigilias, doloremque concitent, et deliria in-*

ducant, coctionem impediant, non minus et motui humorum critico obsint, quum incertus sit locus ad quem, vel per quem crisis est futura.

Nimius profecto essem, si vesicantium beneficia nostris in curandis febribus exponere vellem, et quamvis minime me lateat, quantum inter maiorum gentium Medicos de horum usu in putridis praesertim febribus sit disputatum; attamen illud tamquam certum, ratumque asserere non verear, id remedii genus caute, et quibusdam tantummodo morbi temporibus adhibitum ex funereo ut ita dicam cinere ad novam vitalem auram inspirandam miseros quandoque revocare.

Quum enim nostros aegrotantes viribus exhaustos, in somnum proclives, et oculis micantibus inspiciebamus, de futuro delirio fere tuti, vesicantia in posticam cervicem, aut brachia, aut femo-

ra, surasque applicavimus, ex quorum actione vires erigebantur, deliriumque, si reapse imminebat, arcebatur, si adorat, removebatur.

Cum autem syntoma hoc vere secundarium ex signis traditis cognosceremus; ita aliquando cucurbitulis ad scapulas incisis utebamur ut nervosum systema tantummodo exagitaretur, et superiora capitis vasa aliquantisper absque virium dispendio, excessu sanguinis, aut lymphae privarentur, statimque vesicantia non tam ad stimulum universalem, quam localem in septimo, aut nono ut plurimum applicabamus die, quibus solis nostrae artis auxiliis, vel repetitis tota spes futurae salutis innitebatur, uti revera hanc semper nostrae expectationi in plerisque casibus respondisse experientia demonstravit.

Vesicantium itaque virtus ex ha-

ctenus dictis in stimulante principio tota versatur, cumque proprietas haec ab acido quodam peculiari cantharidibus, atque proprio procul dubio oriatur, inanis futilibusque innixa rationibus videtur Veterum sententia, nempe vesicantia in putridis praesertim morbis esse vitanda, eo quod ab avolante ex iisdem sale volatili alkalino, eodemque humoribus permixto magis, magisque disiunctis particulis ad ultimum putrefactionis statum tota sanguinea massa perduci facillime possit, uti inter caeteros Huxamius sensisse videtur, cuius verba sunt in cap. VIII. de febribus pur. mal. pete. *Siquidem harum muscarum salia simili fere ratione, ut salia alcalina volatilia vim suam exerunt, et profecto dissolutionem, indeque sanguinis putredinem promovent.*

DE TARTARO EMETICO.

Nonnulla de peculiaribus adhibitis medicamentis exponenda supersunt, ut nos ad hoc complendum opus deveniamus.

Cum itaque tartarum emeticum inter medicamenta non tantum corporis alterationem, quam evacuationem afferentia a nobis in febrium curatione selectum fuerit, variisque pro re nata indicationibus eodem usi simus, breviter de hoc nonnulla ad rem nostram facientia exponenda operae pretium duximus.

In solutione partis antimonii regulinae, ab oxigene acidi vegetabili praesertim tartari confecta virtutem emeticam huiusce remedi consistere omnibus recentioribus Chemicis visum est.

Tartarum ergo emeticum tali pacto obtinetur, nempe: sumuntur reguli antimonii unciae cocto, cremoris tartari

libra una, aqua distillata quantum sufficit ad mollem mixtionem efficiendam; haec mixtio exsiccatur, inde in porfiretico mortario in pulverem redigitur, iterumque haec operatio per sex renovatur vices. Pulvis hic decem aquae distillatae libris admiscetur, ipsaque deferve fiat, deinde mixtura percolatur, et ad pelliculam chemicorum more per evaporationem reducitur, demum in frigidum deportatur locum. Ex hac non multo post tartarum emeticum in cristallinam concretum formam fluidi superficiei superstratum videre erit, quo avulso si denuo aquam reliquam secundum descriptam methodum tractemus, novum tartarum emeticum colligi potest. Tartarum emeticum hac arte paratum quammaximam emeticam facultatem possidere, communi prorsus experientia compertum habuimus.

Huiusmodi salina antimonii praeparatio stomachi fibras ita excitat, ut in antiperistalticum motum eiusdem parietes cogat, idque maximo est adiumento, ubi prompta evacuatione e ventriculi cavitate aeger indigeat. At sicuti non semper talis necessitas urget, et potius ubi continua ad vomitum propensio, sive nausea ad quasdam peculiaris indolis profligandas febres utilis inventa est, ita huiusmodi medicamento, varia pro morborum gradu quantitate, ad nauseam, ac vomitum ciendum possumus uti.

Vomitus in morbis utilis habetur, dum syntomata aliquam in ventriculi cavitate pravam latitare materiam ostendunt, qua expulsa in melius futurum aegrotantem; clinicus cognoscat; idque tutius in principio, quam morbi decursu erit faciendum, dummodo neque alicuius visceris adsit neque immineat in-

flammatio; itemque si jecur bile praesertim oneratum sit, quod propriis, uti suo loco diximus, signis dignoscere erit.

Si autem ad solummodo erigendas vasculorum vires tartarum emeticum adhibeamus; hoc unicum proposito fini assequendo optimum reperiemus. Verum ex iam cognita relatione, quae inter stomachi fibras, et vasculorum cutis extrema intercedit, ad sudores quoque per totum corporis ambitum ciendos proficuum mirabili quodam modo observabimus. Ex quo evenit, ut Cullenius posito pro causa febrium immediata extremitatum vasculorum spasmo ab aucta cordis magnorumque vasorum reactione extrema eorumdem oscula facillime reserari autumaverit; proindeque causam febrium immediatam facillime devinci posse crediderit.

Neque hisce solummodo limitibus tartari emetici facultas circumscribitur, dum debitis adhibetur cautionibus, nam utplurimum alvum maximo cum aegrotantis emolumento solvit. Id pluries nostris in curandis febribus evenire vidimus, cunctasque huiusce medicamenti egregias omnes, quas descripsimus, virtutes (exceptis allatis casibus, in quibus ab illo abstinendum iudicavimus) maximo cum nostrorum aegrotantium levamine experti sumus.

DE CAMPHORA

Camphora, volatilis illa, subtilis, penetrans, albicansque substantia, oleis essentialibus odore, atque sapore non absimilis: ab arbore lauri formam praeseferente, in Sinis, Iaponia, insulisque Bone Fortunae, Taprobanae, Ceylani cre-

scente, extrahitur: scisso arboris ligno, illico in partes cumplurimae magnae, purissimaeque lacrymae obtinentur.

Camphora essentialibus oleis volatilior est, lentissimo calore in sublime fertur, crystallinamque formam adepta exagonis laminis pedunculo inter se iunctis tota coalescere deprehenditur. Si contra forti igne tentetur, liquescit, antequam sublimetur: ex quo fit, ut hac methodo difficillime in propria dissolvatur elementa.

Si hanc pluries distillationi committamus, rubram aquam, acido sapore imbutam praebet, ex quo pariter eruitur, quod si hoc experimentum pluries repeteretur, ad eiusdem detonationem usque perduceremur.

Sole aestivo se evehit calore: aeri exposita omnino evanescit: in vitreo vase clausa in piramides exagonae figurae,

vel in poligona crystalla extollitur. Haec a Domino De Romieu anno 1756. observata, atque descripta pag. 443. reperiuntur. Odorem camphora fortem, aliquibusque delicatis praesertim foeminis difficile perferendum possidet: velociter inflammatur, multoque exardescit fumo, et ne hilum quidem carbonis post combustionem relinquit.

Ab aqua minime solvitur: attamen si cum ipsa jungatur, camphora odorem fluido impertit. Terreae substantiae, salino terreae, ac alkali nullam in camphoram vim exercent; licet huc usque alkali causticum nondum ad examen cum ipsa revocatum sit.

Acida in coacervationis statu camphoram solvunt. Acidum sulphuricum caloris ope illam solvit, atque huiusmodi dissolutio rubrum colorem adipiscitur; dum acidum nitricum, a quo facilli-

me solvitur, croceum, eidem impertit colorem; et cum ipsa acido instar ad oleorum innatet, olei camphorae caustici nomen huic dissolutioni a Chemicis tributum fuit. Acidum muriaticum in gaseoso statu camphoram solvit, quod hydrogenium sulfuratum efficit.

Si hisce dissolutionibus aqua affundatur, ipsae statim perturbantur, ac camphora in floccos dividitur fluido supernatantes, absque tamen ulla eiusdem sensibili alteratione.

Acida, salino-terreae substantiae; materiaeque metallicae descriptas dissolutiones praecipitant.

Salia neutra in camphoram nullam exerunt vim; et quamvis credibile sit illa cum sulphure, atque bituminibus nonnullam affinitatem habere, attamen hac de re nil certi habemus.

*

Olea fixa et volatilia caloris ope camphoram solvunt.

Hisce dissolutionibus refrigeratis, paullatim cristalla sub vegetationis forma producuntur, quae prima a salis ammoniaci dissolutionibus producta adamussim aequare videntur.

Ex chemicis camphorae tentaminibus a celeberrimo de Fourcroi publica luce donatis, quae hucusque retulimus, vidimus camphoram particulis volatilibus inflammabilibusque una cum peculiari acido coniunctis maxima ex parte constare: ex quibus conjectare licet, non immerito camphoram inter medicamenta hominibus exhibenda recenseri, quae speciatim ad vitales corporis erigendas vires maxime idonea sunt. At cum celeberrimi non desint medici, qui sancte affirment, illam se pluries antispasmodica virtute praeditam deprehendisse, huius-

modi medicamenti modus agendi (si ex principiis, quibus coalescit, ratiocinari fas est) nonnisi ex excitante qua pollet virtute erui posse videtur.

Et revera pluries in arte exercenda illa usus sum, sed una tantummodo indicatione contra morbos hoc auxilio pugnatum est.

Liceat ergo mihi nonnulla proferre, quo facilius huiusce egregii medicamenti facultas elucescat.

Non dubitem quippe norim me camphorae valde amicum profiteri, ab ista pluries maxima auxilia languenti humanitati obvenisse. Nam quamvis non raro aegrorum vitam in ancipiti ac pene conclamatam inspicerem, attamen hoc praesidio e feretro, ut ita dicam, abreptos saepissime sum admiratus. Fas mihi tamen sit camphoram quoad actionem in sensibiles, irritabilesque corporis par-

tes, tamquam cardiacum penetrabile sudoriferum, excitans, ideoque aliquibus etiam in casibus antisepticum remedium habere. Nam quoties camphoram experimenti causa, tamquam sedantem, ad peculiares dolorificas partium inflammationes compescendas in usum advocavi, quamvis parvula exibitam dosi, post iteratas sanguinis missiones illud constanter obtigit ut in sanguineis, fervidissimisque viris ab incepto desistere debuerim, cum cordis utplurimum vires nimium erigerentur, vultus rubicundior fieret, pulsusque insueta celeritate micarent Haec omnia demissiora se nobis offerebant, (absque ullo quidem levamine) si camphoram nitro misceremus, quippe quod istud igneam eiusdem refraenare plurimum valeret naturam.

At nimis excresceret tractatio si camphorae virtutes in aliis praesertim mor-

bosis conditionibus exponere mihi proponerem. Sat erit referre, quod omnibus in casibus, quibus una cum leni inflammatoria diathesi catarrhales congestiones copulantur, uti perfrequenter invenire est in temperamentis pituitosis, inquibus humorum lentor, vasculorum torpor, atque debilitas dominantur, ad languentem solidorum reactionem excitandam, vires erigendas, impactos humores excutiendos, diathesimque inflammatoriam profligandam, camphoram mirificos praestitisse effectus saepissime vidi.

Si itaque non desunt Clinici qui anodynam virtutem in curandis aliquibus praesertim partium doloribus internis, externisque apyretis, vel febri coniunctis in camphora invenerint, utilitatem quam ex ipsa experti sunt, ni mea me fallit opinio, a discutiente, vel sudorifera sua facultate, qua et congestiones sol-

vere, atque vasorum vires erigere potis est, potiusquam in sedante ponendam reor.

Antiputridam vero quod attinet camphorae virtutem, quam plurimi reperiuntur celeberrimi in arte Viri, qui hanc asserere non dubitarint, quinimmo ad eam in febribus, tam putridis, quam biliosis tanquam ad sacram medicinae ancoram confugere rati, huius tantummodo ope morbos id genus radicius extirpasse, inter quos recensendi Trallesius, Werlofius, Huxamius, Mindererus, Hartmannus, Freindius; Schreiberus, Pringlius ec. at ingenue fatear, licet in hisce febribus camphora pluries usus fuerim, nullam ex illius usu utilitatem, quae percipi saltem posset, sum unquam assequutus; quinimmo utplurimum aegrotantes somniculosi, rubicundi fiebant, quod cum vel in nostris febribus constanti lege evenire animadverterim, ab hac omnino abstinendum non dubitavi.

At ne in contraria oratio mea vergere videatur, denuo repetam, me camphore amicum esse, cum non tam in descriptis, quibus potest convenire, casibus, quam in variis morbosis ventriculi affectionibus, in siphlitica lue praesertim, cum hydrargiro coniunctam et praesertim in vesicae ardoribus quasi specificum (verbo sit venia) hanc invenerim. Unde nam est, ut tam egregium medicamentum quod in nostris febribus tamquam damnosum ipse comperii a relatis Auctoribus in morbis non absimilibus utile inventum sit?

Si itaque nostrorum aegrotantium conditiones rimari velimus, facile erit eruere in iis nervorum sistema a celerrimo humorum circuitu, quem bilis excitandi vis inducebat, quammaxime hanc affectionem, non ad stuporem vel omnimodam corporis relaxationem, sed

potius ad delirium, atque pervigilium aegrotantes adducere consuevisse.

Hoc itaque in casu si per camphorae usum humorum copia versus caput, determinavissemus cerebro a maiori sanguinis quantitate presso, difficillima etiam fluidi secrectio exoriri debuisset, ideoque lethargicus somnus, ob auctum sanguinis arteriosi ad superiora adfluxum, imminutunque ab iis effluxum vultus rubicundior observari. Haec syntomata, reapse hisce in morbis nobis se se perfrequenter obtulere. Ex dictis contrarium expectari poterat si febres a sola fibrarum muscularium torpiditate, atque lassitudine, vel a miasmate nervorum systema solummodo potenter enervante ortum ducerent, remota ea stimulantis bilis actione, quae obtinere solet dum alveum circulationis humoribus commixta percurrit.

Quod si felicem exitum, etiam cum bilis pravae naturae pro causa morbi habebatur a camphorae usu oriri praefati Auctores experti sunt, dicendum est, peculiaribus hisce in casibus vasculorum, nervorumque sistema speciali quadam affectione correptum esse, quae in caeteras concurrentes caussas dominaretur.

Forsan ex acido principio cum penetrantibus camphorae qualitatibus mixto, non tam ad bilem, quam peculiarem humorum naturam corrigendam, vires sublevandas, perspirationemque augendam, medicamenti utilitatem repetendum autumabimus?

Talia hac de re Hoffmannus. *Novi plurima exempla ubi quidam maligna contagiosa febre certis indiciis videbantur correpti, qui hoc remedio semel, vel bis adhibito, subsequto sudore, ex to-*

to malo hoc liberati sunt; de putredinis doctrina §. 28.

Sat de camphorae qualitatibus, atque de eiusdem agendi modo dictum videtur; superest tantummodo, ut medicus in egregio hoc adhibendo remedio maxima cum cautione se gerat, variasque morborum conditiones prudenter perpendat, antequam illud advocet in usum.

DE KINA KINA

Mirabile illud febrem submovens medicamentum, iamdiu Americanis solummodo perspectum, mox Hispanis notum, ab iisque anno 1638. ex Peruvia advectum, varias subinde orbis terrarum regiones peragravit: tandemque sub kinae kinae, vel Peruviani corticis nomine ad maximum humani aegrotantis generis levamen ubique innotescit,

Habitat arbor haec in Caianumae monte, qui quatuor leucas a Loxae civitate in Peruvia Condaminio referente, distat: quae ibi nascitur, et caeteris quae in variis altae Peruviae provinciis crescunt, virtute antecellit.

In tres kina kina dividitur species, nempe in eam, quae album in cortice, colorem induit, duasque alias, quarum una croceo, altera rubro colore donatur. Harum utraque indiscriminatim in usum revocatur.

Hisce expositis kinam kinam chemica analisi tentatam, ut modo instituti ratio postulat, consideremus.

Cum itaque kinam kinam diversae qualitatis chemicis tentaminibus subiicimus, praeter partem lignosam quaedam reperiuntur principia facillime in aqua dissolvenda, quae a celeberrimo Ruellio in nonnullis kinae kinae qualitatibus, ex-

tracto-resinosa, in aliis resinoso-extractiva, una cum colorante parte coniuncta, atque magis minusve astringente principio (aut ut recenter habetur) acido gallico donata inventa sunt. Observatu dignum est, quod acidum gallicum resinae quantitati directe respondet, idque facillime in hoc sequenti experimento demonstratur.

Aqua distillata frigida, sub data quadam proportione descripta principia omnino solvit, perfectamque pellucidi- tatem ut antea retinet: si hanc calefaciamus, post refrigerationem perturbatur hac lege ut perturbatio magna fiat si principium resinoso-extractivum, minor, si extracto-resinosum dominetur. Vera esse deprehenduntur exposita, si alchoole utimur, cum hoc facilius substantiam resinoso-extractivam, quam extracto-resinosam solvat, licet etiam in

postremam quadantenus facultatem exerat suam: hoc in casu, ut vera extractiva pars possit obtineri, necesse est, ut super residuum affundatur aqua, eaque postea calefiat. In hac tandem extractiva parte sapor amarus latitare, solummodo creditur.

Principium autem astringens, vel acidum gallicum quod attinet: hoc tam in alchoole, quam in aqua aequali ratione solubile inventum est. Tale acidum dissolventem possidet facultatem, atque metalla praesertim imperfecta, ut cuprum, ferrum, plumbum etc. solvit. Ex quo fit, ut dum kinam kinam in metallicis vasis tractant pharmacopolae, maximam adhibeant cautionem oporteat, ne una cum parte medicinali sal metallicum plus minusve virosum coalescat. Haec de kina kina tentamina a nostro Professore Petro Giuntini maxima cum

dexteritate pluries chemiae auditoribus demonstrata sunt. Nonnulla tamen in medium proferenda supersunt, a celeberrimo de Fourcroi in lucem nuper edita, quae circa chemicam kinae kinae comparativam analisim, inter Peruvianam nempe, illamque Sancti Domingi, versantur.

Ex tanti itaque Viri tentaminibus chemicis habetur, aquam quaedam principia salina ex kina kina depromere, inter quae sal ammoniacum, quamvis parva quantitate, miscetur, una cum mucilagine gummosa, ac altera substantia rubro-obscura, non absimili illi a Ruellio descriptae, quaeque ab eodem resinoso extractiva fuit nuncupata.

Substantia haec a praefato de Fourcroi, variis subiecta modificationibus ostenditur pro diversa oxigenis assumptione, quae modificationes a resinosi extracti,

specie ad veram resinam usque perducuntur: ex quo fit ut magnum inter infusionum, decoctionum, extractuumque qualitates discrimen intercedat, semperque a maiori, vel a breviori diuturniorive aeris contactu, aquae quantitate, vasorumque figura phenomenon pendere ex experimentis comprobari videatur.

Ruelli ergo substantia, docente de Fourcroi, neque extractum, neque gummosum, resinosumque compositum potest haberi, sed potius peculiaris substantia, oxigenem undique attrahens cuius ope et colorem assumit, et insolubilis ab aqua redditur. Haec absorptio tum solum cessat, quum massa haec oxigenata ad veram resinae naturam accedit.

Rebus ita constitutis luculenter apparet, qua de causa tartarum emeticum cum kina kina mixtum iuxta Corneti methodum ad contumacissimas quarta-

tanas debellandas febres, quamvis largiter exhibitum, emeticam amittat facultatem: nam tartari emetici oxigene a kina kina absorto, oxis antimonii ad statum fere metallicum accedit, ideoque emetica omnino medicamenti virtus evanescit.

Ex principiis itaque, quibus kina kina conflatur, si quid ad egregiam, atque specificam eiusdem virtutem in intermittentibus praesertim febribus profligandis adstruendam eruere velimus, quod homini ingenio satisfaciat, vanum opus aggredimur. Si autem aliquid ex practicis observationibus certum ratumque afferre non possumus, quin kinam kinam tanquam egregium ad pessundatas corporis vires erigendas praesidium consideremus, at qua in parte virtus ponenda? an in resina, in gummi, in acido? Si tamen iudicium ferre in tanta rerum ob-

scuritate liceat, in acido solummodo corroborantem virtutem reponendam esse mea est opinio. Et revera, quidquid cohaesionem elementorum fibras componentium auget, vim etiam reactionis intendit. Kinae kinae acidum hac facultate pollet. Ergo in acido roborandi vis videtur consideranda. Dantur, ut pluries vidimus, quaedam hominum temperamenta, in quibus kina kina vicem cathartici praestat. Id ni fallor nonnisi ex parte resinosa pendere censendum est: nam si resina haec aliquibus in casibus, peculiaribusque hominum temperamentis a ventriculi succis solvatur (ut aliquando id evenire posse credimus), effectum illud absque dubio prodere valet.

Sed antequam ad nostrum propositum redeamus, atque auxilia, quae kina kina hisce in febribus nobis praebuit, illustremus, nonnulla vel de pravis ipsius

effectibus in aliquibus pectoris morbis liceat exponere: ex quibus probabilior nostra evadat opinio de chinae chinae vi roborandi ex peculiari eius acido solummodo deducenda.

In omnibus ergo pectoris morbis, in quibus vel bronchialium glandularum obstructio, vel ulcus a suppurato pulmone, vel peculiare scorbuticum vitium febri coniunctum obtinet, kina kina, quoties usus sum, detrimentum notabile semper aegrotantibus attulit. Nam primo in casu tussis, et incalescentia corporis mirum in modum augeri; in secundo anacatharsis cohiberi; in tertio tandem febris exasperari observabatur.

Hisce breviter delibatis, licet kinam kinam tamquam egregium medicamentum corroborante virtute ex astringente principio donatum cognoverimus, eaque idcirco in putridis praesertim mor-

bis ad fractas reparandas vires, tamquam heroicum, ut ita dicam medicamentum a recentioribus praesertim habitam sit: attamen nostris in febribus ab huiusmodi medicamento, priusquam remittentem, vel intermittentem typum assumerent, propinato, nonnisi peiora insurrexisse vidimus: namque capitis dolor, corporis calor, atque anxietas augebantur, alvique excretiones sufflaminabantur. At quandoque febri, mitescentibus syntomatibus, ad declinationem properante (quod ante decimum, undecimum, vel decimumtertium diem fieri vidimus nunquam), si kina kina usi essemus, statim in quotidianam intermittentem permutabatur febris, brevi et feliciter abitura. Verum non in omnibus res ita se habebat; immo sub kinae kinae usu morbum recrudescere vidimus, neque antea pharmaci huiusce virtuti se dedere

quam typum intermittentem sponte assumeret.

Vidimus ergo in nostrarum febrium curatione, medicamenta tonica, quamvis illa rei opportunitas exposcere videretur, non semper utilia quinimmo quandoque damnosa fuisse. Unde eruere illud est veterum axioma, naturam morborum esse curatricem; quod probat, naturam se ipsam ut plurimum curare, et solummodo aliquibus morbi temporibus artis auxiliis iuvari posse.

DE LIQUORE ANODINO

Liquor Anodinus, postremum describendum medicamentum, a celeberrimo Hoffmanno inventum ac tamquam specificum in nonnullis praesertim morbosis affectionibus ab eodem commendatum. Hoc ex oleo vitrioli concentrato;

una cum vini alchoole perfecte dephlegmato mixto opera distillationis paratur. Huiusmodi utile productum chemicum tantum ad olea volatilia accedit, quantum ab alchoole recedit, cum hoc magna idrogenis quantitate excedat, ab eoque carbonis quantitate superetur.

Perfectissimum illud habetur, quod volatile valde sit, ita ut guttula ex modica delapsa altitudine, antequam terram petat, disperdatur; quodque in vitreo vase aere orbato sponte ebulliat, atque in gas facillime permutetur; omnesque resinas solvat, ne elastico quidem excepto gummi et super aquam tandem innatet, licet exiguam ipsius quantitatem assumat.

Ex partibus itaque, quibus liquor coalescit, illud consequi videtur, non tantum ad restaurandas vires, sed etiam ad humorum corrigendam naturam maxime esse idoneum, praesertim cum putrida diathesis minitetur.

Quamvis itaque productum nocce inter olea volatilia possit recenseri, attamen eiusdem virtutes ex elementis quibus constat derivandas censemus: hinc ex vitriolico principio humores spissescere, fibrarumque componentia inter se magis accedere, uti pariter ex alchoolis proprietatibus nervorum fibrillas leniter titillari, spasmodicasque affectiones a parca fluidi nervei secretione, seu ab inaequali eiusdem distributione ex atonia derivatas (quemadmodum aliquando fieri solet) profligari.

Verum licet prima fronte nostris in febribus mirabiles, quibus liquor id genus gaudet, facultates utiles videri potuissent; attamen nonnullis in casibus, viribus etiam fractis, omnino ad has erigendas ne experiundi quidem gratia hoc uti potuimus, eo quod anxietas calorque corporis, vultus rubor, ac ad so-

mnum proclivitas summopere augerentur.

Illud animadversione dignum est, quod si miliaribus eruptionibus aegrotantes corriperentur, motusque convulsivi in scenam prodirent, liquoris anodini usum tamquam heroicum experiebamur: idque mea sententia probat, materiam reapse (uti iam innuimus) peculiaris indolis in sanguine gigni, quae speciali modo, peculiaribusque syntomatibus a natura per cutim expellitur. Et revera si praefatus liquor hisce solummodo in casibus aegrotantibus profuit, nonne inde licet arguere, hunc in miliarium materia corrigenda, nervisque affectis sublevandis vim totam exerere?

Non equidem mihi uni obtigit in miliaribus curandis liquoris anodini utilitatem experiri; quoniam quamplurimi reperiuntur summi in arte Viri, qui in huiusmodi curandis febribus liquore anodino feliciter usi sunt.

Quatuor, vel quinque, ni fallor, ab hinc annis ab amicissimo meo Michaele Guidi optimo Clinices cultore advocatus curationi cuiusdam Iuvenis medicum tyrocinium exercentis praefui, qui miliari febre vel a morbi ingressu corripi ex nonnullis signis videbatur. Antequam itaque morbosa miliarium materies cutim appeteret, variis iisque minacibus symptomatibus vexabatur. Erupere tandem exanthemata, unoque hoc medicamento, nempe liquore Hoffmanni anodino, decocto florum sambuci admixto tractatus post varia periculi plena morbi discrimina ad salutem brevi et feliciter accessit.

DE CADAVERUM SECTIONIBUS.

Felix faustumque illud nobis obti-

gisse credendum est, quod paucas cadaverum sectiones producere possimus; cum inter multiplices, quos tractavimus, hoc morbo aegrotantes nonnisi pauci occubuerint.

Ne itaque historia nostra hoc destituatur praesidio, illas cadaverum sectiones exponemus, quas malo fato nobis instituere datum est, nonnullasque ex aliis medicis depromptas, qui eosdem morbos eodem tempore tractarunt.

Utinam sectionem cadaveris possem afferre, cuius morbi historiam in tertio febrium ordine retulimus: sed cum aegrotans inter iuvenes Chirurgiae studiis addictos recenseretur, illius corpus honoris causa illaesum relinquere opus fuit.

Mulieris sectionem referam huiusmodi correptae febri, quae a decimo decumbebat, quum in Nosocomium se con-

tulit, quo quidem die se melius habere asserebat, licet adhuc de abdominis fluxu, levibusque doloribus conquereretur.

Methodus tractationis, qua antea usa est, in frigidis potionibus ipsoque glaciei usu versabatur, ex quo ipsa fatebatur, se in dies maxima emolumenta persensisse. Dum itaque in eadem insistimus, dolores paullatim evanescere visi sunt, tandemque per nucerianae aquae clysteres alvus soluta sistitur. Hisce non obstantibus pulsus exillimi fiunt, et ingruente mane diei decimae quartae de repente moritur. Cadaver, si ventris turgiditatem excipiamus, nil exterius dignum observatu nobis praebuit.

Abdomine aperto, tantus ex illo erupit foetor, ut nemini in viciniis cadaveris consistere licuerit, tantumque animadvertere datum sit, omnia intestina in putridum fuisse redacta tabum. Fod[illegible]

ferme tempore nosocomium petierat mulier non absimili correpta febre, nono iam exacto morbi die, in cuius curatione adsuetis indicationibus sumus obsequuti.

Nullis in decimo morbi die maculis in cute erumpentibus, iscuria adeo laboravit, ut ad lotium educendum cathetere pluries uti opus fuerit. Comate tandem obstupuit, pulsibus evanescentibus, brevique spiratione oborta, decima quinta die moritur.

Dissecto cadavere, totam vesicam gangraena foedatam, vasaque cerebri sanguine turgentia invenimus, cunctis pectoris visceribus in naturali statu manentibus. In abdomine vero jecur bile viridescenti et summa fluiditate donata ultra modum extensum inventum est.

At quid plura? extispicia quotquot celebravimus nil nobis obtulere praeter jecinoris auctam molem a bilioso sangui

ne ibidem congesto, eiusdem visceris languorem absque fabricae vitio aut si quando cum obstructione, vel phlogosi extimam superficiem tantummodo abducente.

Ubi aderat obstructio, hepar utcumque mole auctum non sine difficultate anatomico cultro cedebat: ubi phlogosis, illius superficies solito rubicundior inveniebatur, leviterque ab illa serosa exsudatione in tenuem fere pelliculam reducta obtegebatur, quamvis viscus intime perfecte se haberet: at id una tantum vice mihi contigit animadvertere, atque ex relatu intellexi, aegrotantem hunc ab alio medico tractatum de stomachi praesertim doloribus conqueri, durante morbo, consuevisse.

Cerebrum in exterioribus venosis vasculis sanguine plenum, utplurimum in intima sua substantia sanum; nam

in unico cadavere, a tumore cartilagineae fere tenacitatis affectum observare datum fuit; qui tumor prominentias occupabat quadrigeminas, et prope basim undequaque levi suppuratione obducebatur. In nonnullis tandem cadaveribus pulmonum superficies cum pleura erat coniuncta, et aliquando sanguis in cellulari textu nigricans fundebatur absque ulla partis affectae inflammatoria rigiditate, quae conditio cum speciem incipientis gangraenae, et partis degenerationem simularet, adeo quibusdam imposuit, ut a sanguinis dissoluti effusione in ultimis praesertim vitae temporibus ortum suum ducere fenomenon posse negarint, licet gangraenosa degeneratio morti etiam ultimam praebuisse causam, atque ex eadem malae constitutionis sanguinea effusione gangraena etiam oriri aliquando posse, aliis in parte affecta indubiis,

ut plurimum signis videatur. Methodus, qua aegrotantes, qui exstispicia suppeditarunt, tractati fuerant, in frequenti phlebotomia, et diluentium medicamentorum usu tota versabatur, auxiliis pro re nata adhibitis.

FINIS.

Ephemerides

Anni 1791

Menses	Altitudo media Thermometri	Barometri	Idrometri
Januarius	50, 8	27. 5, 7	-15, 3
Februarius	45, 8	27. 10, 4	- 5, 1
Martius	50, 9	27. 11, 9	- 7, 5
Aprilis	60, 7	27. 10, 4	- 9, 1
Maius	62, 0	27. 10, 6	- 9, 4
Junius	68, 4	27. 10, 8	- 8, 5
Julius	74, 6	27. 11, 2	-11, 0
Augustus	79, 3	28. 0, 1	-23, 5
September	70, 7	27. 10, 4	-24, 8
October	59, 7	27. 9, 9	-29, 1
November	52, 3	27. 10, 4	-41, 1
December	48, 3	27. 9, 0	-36, 4

Methereolocicae

et 1792.

Menses	Altitudo media Thermometri	Barometri	Idrometri
Januarius	43, 2	27. 10, 9	- 16, 4
Februarius	47, 1	28, 0, 5	- 14, 8
Martius	50, 4	27. 10, 8	- 5, 7
Aprilis	53, 7	27. 7, 3	- 2, 8
Maius	64, 1	27. 8, 6	- 8, 4
Junius	72, 0	27. 10, 7	- 7, 5
Julius	72, 7	27. 11, 0	- 5, 5
Augustus	75, 9	27. 11, 8	- 6, 6
September	70, 1	28. 0, 0	- 4, 0
October	64, 9	27. 11, 5	- 12, 0
November	54, 3	27. 11, 0	- 11, 5
December	47, 8	27, 10, 9	- 12, 3

ERRATA CORRIGE

Pag. xxv.	vers. 2.	foedatus	foedatas
50.	18.	sententia in	in sententia
58.	20.	septernario	septenario
59.	4.	septennarii	septenarii
61.	18.	adventate	adventante
64.	13.	habitum	halitum
68.	10.	diarrhoaea	diarrhaea
89.	14.	natura	naturae
104.	8.	foetidus solanus	solanum foetidum
140.	13.	gangrenulas	gangraenulas
161.	26.	similimum,	simillimum
167.	12.	Capho:	aphor.
169.	16.	phlebotoma	phlebotomia
171.	7.	praccipue	praecipue
173.	12.	morbis	morbi
178.	9.	caracterem	characterem
183.	10.	caracterem	characterem
185.	16.	consenticnte...iu	consentiente... in
186.	16.	afferet.	afferre
202.	3	ado-	ade-
204.	21,	cocto	octo
205.	7.	deverfe fiat	defervefiat
207.	15.	sito	sita
216.	10.	radicius	radicitus
238.	4.	abdu-	obdu-